4

DISSERTATIONES
IN SCORBUTUM

QUI

INTER IX. COHORTIS EQUITES GRASSATUS EST

ANNO 1806.

ET EJUSDEM CURATIO

AUCTORE L. C. LAMOTHE

ANTEHAC

NOSOCOMIORUM MILITARIUM

ET NUNC

PRAEDICTAE COHORTIS

CHIRURG.



MANTUAE

EX THYPIS VIRGILIANIS

MDCCCVII.



DOMINO DOMINO

GONEL

CHIRURGIAE DOCTORI

ET IN ITALIA EXERCITUUM FRANCORUM IMPERII

CHIRURGO SUPREMO.

Doctor amabilis, et memoria digne, haec optatissima tandem lucet hora, in qua mea erga te debita paulisper solvere datur; sed non audeo tamen ad te orationem meam convertere, cum mihi vires impares ad tantum sint onus: ego vero adhuc juvenis arte,

et asper scriptor quam longe absum, et meritis tuis plus debeo quam reddere ullo tempore valebo! Attamen, felix auspicium artis nostrae, et pater benevole Chirurgorum, laeto vultu, meas accipe dissertationes, quas hodie tibi dico; parce, obsecro, inexperientiae, et respice bonum illius animum, qui audaciae veniam precatur. In posterum, si fata sinant, quaecumque in me erunt, digniora forsan, tibi lubenter consecrare in votis est. Haec sunt, quae velim, et tibi salutis ac felicitatis abundantiam toto ex animo auspicor. Tu, hodie dulcis sis vitae longae spes nobis, vale diu virtute beatus tua, vita nobis excede!

Tunc autem, vir generose, benigne scribamus de militum morbis exercitus, quibus nos cum corde bono, et summa humanitate, non mediocrem opem quotidie attulimus.

DE SCORBUTO

INTER IX. COHORTIS EQUITES GRASSANTE (1)

MONITUM

Quadam ex aliis die, animo cum recogitarem, o Lector, tot et tam varia tormina, quibus cruciatur genus humanum, et multiplices infirmitates, quibus natura sua fragili subigitur Adami soboles, Doemones quos ad nos legant superi, occurrit in stativis civitatis Regii Lepidi (2), scorbutus teterrimus morbus, de quo brevi dicturus ego.

Meum ad scopum absque mora attingendum, aegrotantium, qui mense julii 1806. usque ad initium septembris ejusdem anni, valetudinarium institutum, mihi concreditum, ingressi sunt,

---

(1) 9.me Régiment de Chasseurs à cheval.

(2) Cisalpinae urbs est non longe a Parma, et Mutina, a Lepido instauratum, quod et Regium Lepidi dicitur.

historias fideliter exarare, certum in ordinem redigere, ac exponere, sategi. Praesertim autem casus rariores, aut et difficiliores, in quibus vero vim artis evidentius, perspicias, atque qui instructionem praebeant praeclaram, ornate enarrandas suscepi. Opus autem in quinque dissertationes dividitur, in quibus sermo est de scorbuti causis, de aere, cibo, et de potione, maximis istius morbi causis; tum de quiete, exercitatione, de animi affectibus quibusdam, deque morbis nonnullis, ex quibus gigni potest: postremo loquimur de modo remedia expediendi, administrandique, de victu, et de cura speciali aegrotantium.

Epidemia scorbutica medio ferè anni 1806, ostendit multos aegrotos morbo, de quo loquor affectos. Statim ab aliis, quod majoris attentionis dignum esset, separationem jussi, eosque in hospitium institutum extra oppidum suscepi, ubi omnes vero cito perfecteque sanati sunt.

Nunc omnia in hoc libro exposita lege.

DE SCORBUTI CAUSIS

NECNON

DE EJUS EFFECTIBUS PRÆCIPUE OBSERVATIS IN ÆGROTANTIBUS

DE QUIBUS LOCUTURUS SUM.

Inopia, error in cibo duro, crasso, sive durum vivendi genus, debilitas a morbis antecedentibus, pervigilium, nimia fatigatio, quies immoderata, atmosphaera frigida et humida, tristitia diuturna, locus habitationis, ubi aer impurus esse potest per humiditatem, et exhalationes perversas, corpus quoque non a sorde purgatum, sunt scorbuti communes causae, et praecipuae.

Non erro longior in hac re, de qua plura alio loco dicenda sunt; adjungo solummodo, quod relaxatio solidi viventis extrema, et contractilitatis debilitas, scorbuti sunt etiam causae; quia haec facultatis diminutio contractilis fibram potissimum debilitat, et circulationem imminuit: requiritur etiam latens illa corporis inclinatio ad eum morbum,

quae non conjectura, sed fere observatione, et experientia cognoscitur. Ecce tandem ipsius scorbuti praecipua signa, quae tantum in aliquibus aegrotantium nostrorum apparuerunt: gingivae tumidae, inflammatae, rubentes, laxae, fungosae, et valde cruentae erant, quoque exesae, et marcescentes, a dentibus nonnunquam recedere conspiciebantur; dentes labebant et alicui excidebant interdum fere omnes; quoque saliva acris effluebat; os et spiritus male olebant. Inter haec supervenerunt dolores, velut ex contusione in artubus infirmioribus, crurumque vacillatio, crepitus ossium, ac si suis sedibus moverentur, ipsae etiam cartilagines ab ossibus sejunguntur; indolentia usque ad aversionem omnis generis exercitationis; pallor faciei, aliquandoque ejus tumefactio; lassitudo universalis, musculorum debilitas extensorum, praecipue surarum: aures vero intra se ipsae sonant, dolorque in iis est, qui ad gingivas et totum os pervenit. Dein masticatio fit difficilis, dentes nunc hic nunc illic dolent, moventur, et repente rursus firmantur; nonnullis tamen omnes decidunt; inflammatio quoque in iis, deinde flavedo, postea nigrities,

novissime caries fit, coruptique pereunt; et nonnunquam in tophosam substantiam mutantur. Praeter dentes, totum os dolet, et maxime gingivae, eaeque tam graviter, ut ejulatus exprimant isto acri dolore, sed in angustum locum contracto, lingua et labia quoque afficiuntur; idemque dolor maxillas corripit, quoad copiosa saliva exit, sapor oris depravatur, sequitur dispnea, et animi defectio; palati membrana dura asperaque fit, atque uri videtur, ac pustulis obsidetur, quibus interdum humor subest. Ex his, vel etiam per se non raro ulcera fiunt, sed non alia pejora iis, quae in gingivis oriuntur; scabies quoque frequens est; interdum, sed rarius, cutis finditur, asperitudinemque habet, et squamas quasdam remittit, sic, ut ad eum morbum accedat, quem Graeci *elephantiasim* vocant. Saepe etiam erysipelas oritur, qui fere per varias partes vagatur, sed interdum uno loco pertinaciter haeret, lividusque, durus, et quasi scirrhosus fit; quibus addatur cutis sicca, anserina; in ea crebrae maculae vel lividae, vel alii coloris, quae modo exiguae sunt, modo majores, modo rotundae, et ferme petechiales, modo

attolluntur in quasdam bullulas repletas atro et sicco sanguine, interdumque similes sunt morsibus pulicum, hemorragiae variae tum internae cum externae, musculorum tumefactio; abscessus vero et ulcera mala quam frequentia sint per hunc morbum nemo ignorat: quinimmo ulcera ipsa a mensibus clausa, iterum facillime sub hoc morbo aperiuntur, quod pariter visum legitur de ossibus per callum jamdudum junctis, denuo repente separatis. Gangrena ipsa facile supervenit spontanea, lassitudo quoque membrorum, gravitas et rigor, febris, et alia infinita symptomata, quae oriuntur in variis scorbuti periodis; et nullum fere morbum esse, sub quo non latere, aut cui non associari possit. Sic saltem magistra docet experientia.

DISSERTATIO I.

DE AERE SCORBUTI CAUSA.

Si multum sit famae medico morbos presentes auxiliis appropriatis depellere, non minus gloriae ipsi et utilitatis est ab hominibus morbos futuros avertere. Ars autem, quae ad scopum certius ducit, dicitur diaetetica, quae medicinae

pars versatur in usu recto, et probo sex rerum non-naturalium (1). Confiteor equidem, et id per transennam, quod semper non sit admodum facilis usus harum conveniens, et aliquando impossibilis: ideoque non ad perfectionem, sed ad rectificationem quamdam in istis, quae ad scorbutum faciunt, tendimus.

Hic de aere agere sedet in mente, et eo magis momentosa est ea consideratio, quod hoc fluido continue circumvolvimur, et penetramur undequaque: ipsi initium vitae debetur, ipsi quoque finis: inspirando nascitur homo, expirando moritur: sanitatem affert, et innumera mala fluidum maxime necessarium (2). Hinc patet quantae sint adhibendae cautiones, ut atmosphaera sit bona, id est pura, nec frigidior, nec calidior, nec humidior, nec siccior, neque ullo modo miasmatibus infensis onusta. Ut ad enucleationem propositi

(1) Sic nuncupatae fuerunt istae res a doctoribus, atquae hodie reputantur esse naturales, aut potius inevitabiles; jamdiu usus invaluit, etsi nihil naturalius fiat quam bibere, dormire, etc. Illas tamen non-naturales dicere potes, quia, licet natura humana illis adstruatur, ab illa tamen non reguntur, homo enim illas habet in potestate, et ad sanitatem dirigere valet.

(2) Aer tum vitae, tum morborum est causa. Hippocrates.

rectius perveniamus, pauca de aeris constitutione physica et scorbutica, in quantum erit praemittere consultum ducimus. Itaque aer est fluvidum illud, quo ambimur, quod, etsi oculos fugiat nostros, qualitatibus, tamen manifestis existentiam sui demonstrat. In primis aevi diebus, et etiam longius decurrente coelo, scilicet dum in cunis jacuit Chemia, aeris heterogeneitatem, decompositonem, elementaque, si ita loqui fas sit, per analysim agnoscere nec sciebant antecessores: ast ubi primum ad grandus provecta fuit Chemia, ipsius indefessi et strenui sectatores naturae intima penetrarunt, plurimaque hucusque abdita in lucem evolverunt: omnium instar sint bina illa fulgentissima Galliae lumina *Fourcroy*, et infelix *Lavoisier*, quibus certe haud perspicaciores naturae scrutatores nostra agnoscunt saecula. Hinc, inter plura, fuit apertum, aerem quem haurimus non esse, strictius loquendo, elementum, cum sit compositus ex duobus principiis, seu corporibus, nempe ex gaze azotico et gaze oxygenio. Homogeneum etiam illum non esse testantur ignis et aqua quibus donatur. Ultra procedentes chemici, gaz hydrogenium,

gaz acidum carbonicum etc. etc. descripserunt (1). Ast cum aerem tamquam respirationi inservientem, seu scorbuti causam, hic tantum considerare sit in animo, coeteras species, seu potius modificationes dimittemus; quoniam de his singillatim agendo in immensum cresceret opus. Transeundo tamen dicere fas sit, quod plurimi recentiores autumant, solum gas oxygenium aptum esse respirationi; ideoque in morbis quibusdam, verbi gratia, in phtysi pulmonali et aliis pulmonum affectibus, illum haurire jubeant aegros, attamen, quamquam mopheta sit vitae inimicus, cum solus inspiratur, existimatur quod haustus continuus, si possibilis fieret, aeris vitalis valde perniciosus foret, dum ad putriditatem et decompositionem (2) inducat iste substantias, ad quas accedit. Insuper, aerem atmosphaericum omnium optimum esse probatum videtur, ex eo quod natura ad utilitatem nostram opera sua dirigit in genere: sic combinationem, seu rectam permi-

---

(1) Ingen-Housz, Fontana, Maker, Bergmann, Sages, Fourcroy, Chaptal, etc. etc.

(2) Metalla etiam durissima, et perfectissima per accessum aeris oxygenii calcinantur.

xtionem gaz azotici cum gaz oxygenio probe institutam esse reputo, cum gaz oxygenium sit septicum, gaz azoticum vero antisepticum. Itaque si in affecto pulmone detur oxygenium ut medicamen optimum, pariter in febribus saburralibus, aliisque morbis dictam putredinem arguentibus in usum admovetur gaz azoticum, suo quisque modo propinandum.

Multas subit atmosphaera mutationes: calor, frigus, gravitas, elasticitas, siccitas, humiditas, etc. sibi invicem succedunt; et hoc fuit a principio necessarium, nam continuus calor, continuumve frigus certissime noceret, et aer si esset in statu utrumque medio permanenter, natura in suis languesceret reproductionibus.

Ad cœli intemperies, non imprudentius tamen sese assuefacere oportet: at cum infeliciter in infantia et serius, ad quaecumque, etiam levissima, incommoda avertenda, poena sit impensa, non mirum, si variae in atmosphaera successiones turbas cieant in oeconomia animali.

Calor aeris nimius appetitum amovet, digestioni nocet, alacritatem, qua tempore frigido et sicco exultamus,

frangit, vires prosternit, indolentiam efficit, animantium corpora exsiccat, tenues corporis aufert humores, et eorum crassitiem auget, ex quibus proxima est ad putredinem vehemens dispositio. Ideoque ab his, si qua alia praecipua causa accedit, scorbutus fovetur, pariterque plurima, et quidem gravissima mala generat: aestuante etenim corpore, sitis ut saepius urget, quam ad sedandam si potus frigidior bibatur, pleuritis, peripneumonia, febres recalcitrantes, et similia exurgunt: non secus evenit, si e lecto calido in frigidum quis transeat, balneum fluviatile si madidus calore petat, etc. flabella etiam quae illici sexui proibere facinus videretur, nocere norunt, quia humores magis turbantur ex priva corporis parte vento afflata, quam si corpus universum flatibus boreae exponeretur.

Aer frigidus ex hoc contraria producit, ut solidorum condensationem, fibrarum roborem quoque et vigorem; ad evaporationem se opponit, et corpus totum corroborat; modo tamen frigus non sit extremum. Nemo, ut opinor, ignorat frigidi aeris noxas graviores futuras, ubi ei aperte aliquis matutinis,

aut vespertinis horis sese committit, magisque si noctu et multo magis, si sub dio somnum capit: itidem pessime agere qui e lecto, e foco etc. surgens, aeri frigido se offert, quoniam frigus poros cutis jam hiantes constringens, subito materiam ibi perspiratoriam arcet, et humorum indolem pervertit, etc. Porro observationes celeberrimi Stoll, cujus mortem adhuc merito lugemus, et aliorum summorum virorum, comprobant, frigus ad cutim et pulmones suam praecipue actionem dirigere, et morbos procreare phlogisticos. Si frigidi aeris vis sit minor, quam calidi ad scorbutum producere, id vero fit, quod multae ejus causae desint, aut certe raro, tempore frigido, occurrunt ut effluvia illa quae aerem inquinant, calore vero magis acria, putridioraque evehuntur. Notum est, aestate paludes pessimum odorem diffundere, qui hyeme vix unquam sentitur. Non negabis vero aerem frigidum, et per se humidum, ex levi quacumque occasione, morbum ipsum praestare, et etiam consideretur quod, si sub septentrione, et in quacunque parte, tanta esset scorbuti frequentia, aliae, praeter aeris frigiditatem, causae illic concurrere, ut vis palu-

dum, aliaque quam plura, de quibus dicendum erit.

Graviditas aeris adaucta innocua, immo jucunda videtur; dum e contra si sit imminuta, ut in die procellarum, facultates laedit, ingenii et corporis vires debilitat, etc.

Elasticitas aeris, ut in summo montium, vertigines, haemorrhagias, angorem universalem, haemopthysim, pthysim, etc. excitat; quod non solummodo, ab pondere aeris diminuto pendet, sed pariter quoniam in alta atmosphaera hydrogenium abundat. Hic de aeris siccitate ut scurbuti causa, nullum sit verbum, quod ex sequentibus ipsi contrariis potius gignitur. Coeterum melius fuisset, pro salute nostra, ut aer in eodem grato statu semper remansisset; namque aer saluberrimus ille est autem, qui nec nimius gravis, aut levis est: excessus in alterutro gradu aequaliter nocet.

Impurus esse potest aer per humiditatem et calorem. Nemo enim ignorat, in variis terrae tractibus aerem varium esse, et aliquando pessimae indolis, tum ob situm loci. tum ob humiditatem, vel calorem nimium, tum ob vicinium paludum, coemeterii, maxime ut post cruentissimam cladem, cloa-

cae, etc.; tum enim aer oneratur, et infestatur miasmatibus deleteriis, quae febribus intermittentibus, perniciosisque, pesti, et aliis morbis seu endemicis, seu epidemicis ansam praebere valent; et observationes varium summorum virorum comprobant, humiditas morbos procreare pituitosos, et in genere, tum vegetabilibus, cum hominibus nocere. Aer quidem palustris, et maritimus copioso aquarum vapore crassus, nebulosus, humidusque efficitur. Humido autem aere perspiratio minuitur, et retentum perspirabile corporis, ac absortum humores turbat; et iis acritatem inducere magnus *Boheravius* docuit, et alii comprobaverunt. Neque id satis est, verum inde debilitas solidi viventis, humorum quoque tarditas prompte nascitur, systema orbatur a viribus necessariis in morbis ad crisim operandam, et mortem, maxime annosis, proferat: non semel, sed millies et iterum observatum fuit, quod dum tempestas quaedam anni solito humidior, et nebulosior fuit, numerosiores inde successerint morbi; -- mors insatiabilis...

Impurus etiam potest esse aer ob situm loci, a quo exurgunt emanationes perversae, et sanitati prorsus a-

lienae. Haec effluvia, maxime ex palustribus locis, aquae, praesertim cum conjunctis, aut innascentibus plantis corruptae, emittunt; cum etiam quaedam ex palustribus plantis acres, et venenatae sint. Tum etiam multa animalia amphibia, multa insecta, multae minutissimae bestiolae in paludibus, et circum hos degunt, quorum cadavera, semina, exuviae, excrementa corrupta inimicum halitum per aerem diffundunt. In mari quoque nativae plantae tabescentes, piscium etiam vastissimorum aliorumque animalium, hominorumque submersorum cadavera, putridas exhalationes dispergunt, non minus, quam tot sordium genera, quae in illo sunt: noxiae exhalationes, iis maxime in locis abundant, in quibus aquae minus profundae sunt, ut fere prope litora, quae praeterea aquis identidem recedentibus, putrefacta remanent, ut gravissimus odor testatur. Promptior putredo est, si diutius venti sileant, ut etiam ex palustribus locis ea pejora sint, quae ventis minus perflantur. Atque in carceribus quoque, et nosocomiis persaepe scorbutus oritur, in quibus accusanda sunt procul dubio miasmata, quibus aer infestatur propter sordes, aegrorumque

perspirationem, etc. Porro aer humidus, vaporibus aquosis, et variis particulis plenus, corpus nostrum non solum externo tactu afficit, sed etiam per subtilissimos meatus, quod absortio nominatur jure, vapores in sanguinis oceanum compellit, aquosum sanguinem reddit, et solidum viventem relaxat.

Impurus quoque potest esse aer ob situm loci peculiarem, quando scilicet ita positum est oppidum ut verbi gratiâ *Genua*, cujus cives saepius affligit pestis, quia a flatibus Aquilonis hanc urbem defendit, et orbat mons huic imminens. Ventus autem ille calorem nimium temperat, et aerem adeo mundat, ut, jubente Hippocrate, pestis furens extincta quondam fuerit per complanationem montis, qui accessum Boreae impediebat. Aerem adhuc inquinant plures homines in eodem loco diutius sedentes; comprobatum enim est, universa fere animantia per respirationem aerem mephiticum edere; unde in fanis, sive templis, ergastulis, navibus, theatris, nosocomiis, etc. respiratio saepius fit minus grata, et difficilior quam in campis, et in foro: experientia compertum fuit, quod quisque nostrum trecentas circiter aeris uncias intra unam horam decomponat;

igitur, si in spatio, ubi nulla instituatur aeris renovatio, includantur homines, brevi tempore sunt aegrotantes, et morituri, ni ars subveniat illis; quod fit purgando et aperiendo loca, ex quibus exurgunt emanationes, renovando aerem ope ventillatorum, januas velocius agitando, comburendo et exponendo substantias, quae gaz mephiticum emovere possunt; inter illas praestans est nitrum, de quo libra unica duodecim millia unciarum aeris oxygenii suppeditat, pariterque etiam diversorum mineralium acidorum, et praecipue nitrosi vapores opportuni videntur. Flores, et ii in primis, qui suaviorem praebent odorem, aerem impurum efficiunt, exempla hujus affluunt effectus funesti. Situs loci nec imis vallibus, quia ibi humidior, et nebulosa est atmosphaera, nec in cacumine montium, quia hic aeris elasticitas varios morbos ciet, seligatur: ac in primis nec subito mutetur patria a situ quolibet in oppositum; nihil contra istud facit exemplum incolarum quorundam, qui, verbi gratia, in Pyrenaeis, et in imo, et in alto successive habitantes, firma gaudent valetudine; assuetudo enim, secunda natura, et durum vivendi genus nequaquam vana sunt. Locus habitationis

debet guadere beneficio Aquilonis et solis orientis. Ne diutius remoremur in locis ubi plura includantur animalia, floresque, nec ubi plures accendantur ignes; aerem enim mephiticum efficit ignis: igne tamen in camminis accenso utimur ad depurandum aerem tum habitaculi, cum nosocomiorum. Domus in propinquo habeat sylvam vel nemus, flumen vel rivum, si id fieri potest; melior est ideo ruri, quam in urbe degere. Caute fugiuntur habitatio humida, et domus recens structa, vapores foricarum et carbonis, praecipue fossilis, fermentationisque vinosae et aliarum similium operationum chemicarum. Loca mephitismo suspecta, verbi gratia, subterranea, si adeundi sit opus, flammam prae se ferre oportet, nam ubi extinguitur ignis, hic respirationi noxius est aer, et e contra.

Si morbus contagiosus, vel quaedam regnat epidemia, longius abire, si detur facultas, sin contra, periculi metum reppellere opus est (1); constat enim,

(1) La crainte est plus nuisible que la constitution la plus mauvaise de l'air; elle donne la maladie regnante aux sujets les plus sains, et fait périr un malade que voit mourir à côte de lui une personne qu'il cherissoit: la crainte et le chagrin font ensemble des effets déplorables sur les gens en santé; mais c'est encore pis à l'égard des malades. *Zimmermann*.

pavidiores praesertim oppugnatos fuisse a morbis regnantibus. Regimen in victu et in exercitio et in aliis observetur. Ante nimium etiam signum morbi prodromum medicus consulatur, ut, si opportunum videt ille, prophilactica adhibenda jubeat; non parum etenim prodest huic calamitati supervenienti bonum corporis statum opponere.

Vigente epidemia fiat usus acidorum, praecipue vegetabilium. Commendandum etiam venit cuique jentaculum leve, cum poculo meri et frustulo panis ante egressum e domo, sicut et deambulatio quotidiana in campis et collibus. Si possibile sit, contorqueantur amnis aut rivus in universas oppidi plateas, vel irrorentur illae fontibus aut aquis de vasis perfusis. In universum tandem exquisitissima ubique instituatur mundities. Ignes, si utiles videantur, in omnibus partibus succendantur, in hos fiat projectio aromarum, tabaci, aceti, nitri, et similia. Festa genialia, choreae, spectacula celebrantur: ventilatoria maxime quoque sunt laudanda.

Ex variis praecedentibus paragraphis concludere pronum est, quod in aeris humiditate posita est praecipua scorbuti ratio, haec quia atmosphaerae qua-

litas relaxationem texti solidorum produxit. Nunc verba nostra vertamus, et experientiam consulemus: igitur, qui aedificiis habitant humilibus, iisve aedium etiam partibus, quae prope solum, vel infra id depressae sunt, in scorbutum tam facile incidunt, maximeque si in locis illis dormiant, ut faciebant milites nostri. Heu! in conclavibus miseri dormiebant coecis, in parvis cubiculis, ubi parietes neque calce obductae erant, in parvis ambulacris contuberniisque humidis, ubi pavimentum lateribus male instructum erat, inque zotheculis insanibus, ubi frequens ignis non accenditur, etc. Non secus evenit in carceribus quoque, et nosocomiis, ubi persaepe scorbutus oritur, in quibus enim accusanda sunt procul dubio putrida, quibus aer infestatur: hae causae sufficientes videntur ad scorbutum producendum; de quibus autem sane quaeritur in militum habitationibus, epidemiae tempore atmosphaera nil perniciosum adnotans.

Modo adnotabimus, quasi retrocedendo, quod optimum foret hirundinum more peregrinos vivere; sed cum atmosphaeram sic immutandi non detur potestas in juventute, ut mox diceba-

mus, et etiam post teneros annos; coeli mutationibus assuefaciamus; sic per autumnum sensim et caute frigori venturo nos disponamus; vere, ad calorem proximum etc. Preceptum Hippocratis latini sequi melior esset (1). Talis est assuefactio, ut Graecorum athletae sudore madidi in undas ruebant sine sanitatis periculo; et nostris adhuc diebus in Norvegia, ubi multi numerantur centenarii, moris est populorum ex cubiculis egredi calentes, et in nivem se volvere. Consuetudo itidem tantum confert, ut sub ipsissimis oculis nostris rustici et pauperes, qui in temporibus diversis prae sua inopia assuefieri coguntur, impendio minus incidant in morbos, qui inter primarios et delicatos saepissime grassantur. Divites mollissimi, magnates sibi blandientes, frigoris impatientes, in hippocaustis reclusi gelida spicula cammino luculento procul arcent, et solis radios in cella altiori, aut in viridariis accurate repellunt. Heu miseri! in qui-

(1) Sanus homo qui suae spontis est, nullis obligare se legibus debet; ac neque medico, neque jatrolipta egere. Hunc oportet varium vitae genus habere: modo ruri esse, modo in urbe, saepiusque in agro; navigare, venari, quiescere interdum, sed frequenter se exercere... prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti, etc. *Corn. Celsus.*

bus rerum omnium infelix copia morborum exercitui portas aperit! Heu! quot tusses, gravedines, catharri etc. .

Cum autem hic abusus adhuc verosimilius sit remansurus, consilium dare vellem his, quorum sic fuit a primis lustris institutio, ut per tempus humidum et nebulosum saepe mutent subuculas bene siccatas; totum corpus, pedes praesertim, ab humiditate tueantur; ut sub coelo frigido vestibus calidioribus induantur, calentes e lecto vel foco foras non egrediantur, Boreae stridorem vitent; ut calida vigente tempestate, nec loca subterranea, nec fanum frigidum, neque balneum fluviatile, neque similia petant, ardente corpore. In genere, vestes pellitas sicut et leviores non citius, non tardius assumant, vel dimittant etc.

DISSERTATIO II.

DE CIBO ET POTU SCORBUTI CAUSA

Boire, manger et s'exercer par mésure,
Sont de santé les outils plus certains;
L'excès en l'un de ces trois aux humains,
Hâte la mort et force la nature...
De Pibrac CXXI.

Ubi jam natus est homo ad mortem progreditur, perpetuas patitur jacturas, quas ad reparandas alimenta sumit. Ante perfectum incrementum minores sunt hae jacturae quam assumpta; cum autem ad virilitatem pervenit, magis, vel saltem tantum in genere deperdit, quantum assumit; continuo autem deperdit, nam si alimentis abstineret, brevi extenuaretur ac extingueretur: hoc commentario non eget. Ergo, cum nostro corpori assimilari debeant alimenta, assumenda sunt illa ex rebus ad nutritionem aptis, in tempore opportuno juxta modum, aetatem, et constitutionem. E regno minerali nullum carpitur alimentum, ex animali multum, e vegetabili plurimum. Etiamsi quidam populi vegetabilia tan-

tum pro alimento sumant absque ullo inde notabili sanitatis detrimento, tamen ex utroque regno nutritionem juxta normam rectam excipere, optimum esse judico; nam ea omnia, quae manducantur, in nostram non convertuntur substantiam; sola autem pars mucosa, et gelationosa corpori nostro assimilatur: ergo carnes magis nutriunt quam varia vegetabilia; tota enim substantia carnis et ipsorum ossium in mucum convertuntur in olla dicta *de Papin*, quod non fit de quocumque vegetabili.

Praecipua cibi nostri materies est panis, qui e farina plurimum vegetabilium, sed imprimis seminum cerealium, aqua diluta, fermentata et rite cocta, componitur. Quoad istam alimenti provinciam oportet ut qualitatibus requisitis, coctione nempe, fermentatione, etc. sit praeditus panis; ille qui levior, subalbus et oculatus est, melior habetur, coeteris tamen paribus. In vegetabilibus adhuc habemus pro nutrimento legumina diversa, plantas olitorias, caules, folia, radices, poma, variosque fructus.

Inter animalia multa sunt, quorum carnes devorari, ni extrema premat necessitas, noluit usus, et certo bene institu-

tus. Inter illa quae vulgo manducari licet, sunt boves, verveces, porci, gallinae, gallinellae, et volatilia fere universa; apri, caprioli, lepores et quaecumque prope ferina; pisces permulti, ova, et alia. Sed haec omnia indiscriminatim non conveniunt omnibus temperamentis, aetatibus, temporibus, circumstantiis: aetati etenim infantili conveniunt lac, pulmenta, fructus, horaei, aqua, et s.; senectuti, alimenta levia, levioraque, nutrientia, calida, roborantia et facilis digestionis; chocolatum ideo cum vanilla, panis siligineus, pullorum carnes, assatae vel elixae, vinum antiquum, atrum, generosum, merum, atrum aqua dilutum sive temperatum, etc. sic pariter temperamentis delicatioribus panis ex siligine recte factus, juniorum animalium musculi, vervecina caro, pisces leviores, vegetabilia, lac interim, vinum generosum; (lac senectutis), tamen sumptum moderate, aqua commixtum etc.; robustis panis secundarius, caro bovina et similes, pisces duri, salsamenta, merum, etc.; humidis crusta panis, inassata caro, vinum spirituosum, etc.; siccis mica, puls, offa, fructus horaei, pomaceum, vinum fortiter lautum, et s. Sic de coeteris tempera-

mentis. In genere autem ea quae appetuntur bonae sunt nutritionis, et facilius digeruntur, licet restrictionem non unicam haec regula ferat.

Tempore hiemali, carnes tostae, salsamenta, obsonia, condimentum, vinum generosum, merum etc.; aestivo, fructus horaei, plantae, lactantia, potus acidulus, sicera, aqua vino colorata, et s. conveniunt.

Nunc sit quaestio de hora et quantitate cibi sumendi.

Quoad horam, loci quem habitamus usui est obsequendum; ast sanum videtur, mane leve jentaculum sumere, verbi gratia, frustulum panis in poculo meri, prandium, hora prima vel secunda pomeridiana; coenam, hora octava vel nona vespertina. Pessimum esset accumbere ante factam digestionem: digestio autem perfecta cognoscitur praecipue per quemdam levitatis et alacritatis sensum, per qualitatem excrementorum solito similium, etc. (1).

> Hinc variae fallunt leges; tibi regula sola
> Sit sensus; nullo post coenam membra graventur
> Pondere, nec jaceant pigro defessa sopore:
> Non caput obtundat torpor; sed corpus amico
> Nectare perfusum facile sua munia tractet;
> Nocte tibi Morpheus leviora papavera spargat
> Quae facili pulset conjux Tithonia dextra.

(1) Sanctorii med. stat. sect. III. aph. 18.

Quoad quantitatem, unusquisque stomacho suo auscultare debet, et bonum est praeceptum, aliquem appetitum servare mensam liquendo (1): varietatem et multitudinem catinorum, formositatem ferculorum mirari licet, sed enim iste sumptuosus apparatus amovet appetitum; et pro sanitate longa melius est ad sobrietatem confugere, quam ad dulcis vitae amorem (2). Solo naturae lacte, innumeros ad vitam longam pervenisse, nos compertum habemus. Quid enim patres ante diluvianos? quid brachmannos Indorum philosophos? quid antiquos Brasiliae habitatores sustentavit tot per annos? Vivendi ratio simplicissima, sobrius eorum, quae suggerit natura usus; -- diaeta.

Interrogatus quidam senex, audite centenario majorem, quidnam agens vixisset tam diu? Non arcana jactavi, non multo labore parata remedia; sed comedi, respondit, antequam esurirem, potavi, antequam sitirem. Coeterum consuetudini et patrio mori est indulgendum, si malum exinde notabile non oriatur; si tamen pessima et noxia sit con-

(1) Sanctorii med. stat. sect. III. aph. 38, 39.

(2) Qui diaeteticam ignorant, vel spernunt, incidunt in malorum oceano.

suetudo, illa sensim ac sensim est deserenda; nam subita mutatio in modo cibos sumendi magnam turbam in oeconomiam animalem afferre valet; quod jam adnotavit grafice latinissimus *Celso*, dicens, — nam cum quis mutare aliquid voluerit, paulatim debet adsuescere —...

Non sumendum statim ab exercitio nimio, neque post animi pathemata vividiora (1). Abstinendum non modo a nimio cibo, qui ingurgitationes funestas saepius parit, sed et a diutius protracta inedia; a penuria enim alimentorum plura et gravissima oriri mala certissimum est (2): et sicut helluones cibis obruti auferunt, similiter sobriores insani et abstemii lenta sanitatis degradatione ad tumultum proficiscuntur. In tenui victu aegri

(1) Post immoderatum exercitium corporis vel animi statim vesci malum:... *Sanctorius*

Les passions de l'ame portent aussi des effets plus ou moins facheux sur la région épigastrique, et y laissent un état d'irritabilité excessive, qui détruit le sentiment de l'appetit, et anéantit, pour ainsi dire, les facultés de l'éstomac. Voyez aussi la dissertation d'*Hoffmann*, de emetico post iram veneno.

(2) Statim gravis impotentia exoritur, tremor et animi defectio; adhuc oculi pallidiores fiunt, urina crassa et calida redditur, os amarulentulum evadit, viscera pondere videntur; tenebricosa vertigine corripitur, vehementer irascitur et moeret. Hippocrates lib. de prisca medicina. His omnibus symptomatibus, in hoc primo abstinentiae gradu, adjuncta sit *nausea*.

delinquunt, ut, extrema corporis debilitas, macies etc. Exquisita alimenta optima sunt, et' ad longaevitatem valent.

Nullum in victu cuique commendandum esse excessum credimus, etsi dixerit Galenus, vir summus, et alii post illum, limites quandoque, sed raro excedere, robustis non nocere.

Quoniam in longius trahere nos disquisitio exactior de materia et qualitatibus potus, paucissima summatim hic dicemus. Aqua etsi omnibus non arrideat, plurimisque ita displiceat ut hydrophobi dici possint, optimum tamen et naturae nostrae magis analogum potum exhibet: haec frequentissime et ubique ferme occurrit, maximam nempe partem omnium fere potulentorum et quorumdam eduliorum constituit, et natura studiosa, quae, sola obstetricante, in lucem excludit mundum, de cujus ventre fluunt fontes vitae, aquam itidem super hanc terram fusius tradidit in nostram salutem.

Modo consideremus aquam, quae ad sanitatem confert. Ut ad hoc operam demus, sufficit scire in genere, quod aqua perlucida, et sine odore, sine sapore, quae super arenam longius perfluxit, sit omnium optima; et eae ma-

xime, quae fluunt de ventre rupium: Fontes etiam, et ii praecipue, qui ad orientem aquam dimittunt, potum praestantem praebent: generatim vero, eo melior est aqua, quo levior est, et quo facilius saponem solvit, et legumina coquit; eo levior est quo citius calefit, et citius refrigeratur (1).

Chemia, infinita potentia, nos plurima docet experimenta, quibus qualitates noxiae in aqua detegi, et corrigi possunt: atque ea omnibus non innotescunt, et in quocumque loco et casu uti nequeunt.

Vinum, in nostris praesertim regionibus, est liquorum fermentatorum communius; album est, vel rubrum. Album levius est rubro, et virtutem aperientem possidet. Rubrum est generosius, et virtute stomachica in evectiori gradu gaudet, propter copiosiorem spiritum.

Optimus est usus vini moderatus; immoderatus vero quantum noceat, cuique notum est (2): huic saepe variae infirmitates, et morbi, et vitae brevitas tribuitur.

---

(1) Aqua quae cito calefit, et cito refrigeratur levissima est. *Hippocratis* aph. XXVI.

(2) Vinum multum potatum irritationem, et iram, et ruinas multas facit.

Vinum, liquor divinus, in jucunditatem creatum est, et non in ebrietatem. -- Exultatio animae et cordis vinum moderate potatum —. Sanitas est animae et corporis sobrius potus; ab abstinentia illius

> Fit tumor, infarctus scirrhus cancerque cruentus,
> Quae mala solventi pateras avertere potu.

Qua de causa ajebat quidam

> Vina bibant homines, animalia caetera fontes,
> Absit ab humano pectore potus aquae.

Qui vinum bibere assuevit, si abstineat, male facit, ni status pathologicus abstinentiam imperat.

Liquores spirituosi, etsi palato grati sint, sunt fere omnes funesti: ii tamen qui e medulla, pulpamine, semine vegetabilium aut ex ipsissimo lacte fermentationis ope sunt educti, virtute pollent cardiaca, propter partem spirituosam, qua ditantur, et nutritionem praebent, ob particulam mucosam, quam retinent. Apud plurimos, et praesertim mulieres, magnates, divites, mos est theiae vel cafaei infusionem, vel similia pro jentaculo, et post prandium deglutire; consuetudo prava, non tamen subito prorsus eliminanda his qui assueverunt, sed futuris non suadenda

multis de causis; non solum quia hi potus sanitati nocent, sed et quia in quibusdam affectionibus, ubi ipsi perutiles forent, nihil effectus producere valent propter habitum; haud absimili ratione, illi qui malo habitu tabaco uti assnevere, nullum ex isto auxilium eruere poterunt, dum adveniet usus. Bibere extra prandium et coenam non sanum reputat Sanctorius, et dixit: Nobis potus inter prandium, et coenam nocet: sed si tantumdem minus in coena potamus, tollitur nocumentum (1). Ita non reputo post Sanctorium, quia ego bibo et bibunt fere omnes, tamen moderate, post prandium, et coenam, sine sanitatis notabili lesione. In digestionis actu moles aliquando efficitur dura, quasi sicca, et natura digestionis tempore est turbata; tunc sitiens sumat vinum, tamen modeste, aut dilutum potum, vel aquam, quae stomachum corroborat, et inde totum corpus; digestionem juvat, humoribus dat vehiculum necessarium, materias solvit, quae e corpore eliminari debent, atque remanentes vero nocituras. Sanitas est animae et corporis sobrius potus, modo tibi non incom-

---

Sanctorii aph. 97 Sect. III.

modet, et digestionem non interturbet, ideoque sume tantum, quod ad eam perficiendam convenit, et ad sitim sedandam. — Omne quod nimium, naturae inimicum.

De optimo cibo et potu jam locutus sum, nunc verba nostra vertamus, et pariter dicamus de cibo, qui in causam scorbuti venit. Restat igitur, ut in scorbuto culpa in cibos illos rejiciatur, quibus aliquis utitur: abstinentia ab omni genere recentium vegetabilium, salsis carnibus, durisque fumo utere, rerum omnium penuria laborare, errareque in cibo duro neque fermentato, assumere etiam cibum inusitatum, omnes ad scorbutum disponendum valent. Scorbuti causa, tamen vero non semper in abstinentia salsis carnibus, et minus in recentibus, teneribusque carnis ponenda est; morbus oriri potest non ex hac causa, sed ex eo cibi genere, quod fere necessitate aliqua assumitur; quodque non quod non est vegetabile eam noxam affert, sed quod ineptum est, et vitiatum. Itaque ex his altera quoque ratio habetur, quamobrem in diuturnis obsidionibus, longisque navigationibus interdum scorbutus

oritur, et per multos occupet, fereque egentiores et milites: neque dubitandum quin ex inopia in cibo et potu, scorbutus oriri possit. Inde alia via aperta est per quam ad scorbutum brevi venitur, ut debilitas subsequens, vires enervatae, vigor de corpore elapsus, mutatus, etc.: in quo casu mehercule apparet etiam sine vegetabilibus, morbum per cibos melioris alimenti vitari posset, et curari. Ut, qui in scorbutum pronus, stomacho, totoque corpore debili, in otio, et longo somno, atque maxime in aere humido ac frigido, subacidis fructibus seminibus farinosis, et lacte, vel sponte vel necessitate aliqua utitur, ei morbus per haec infertur. Ut, qui etiam corpore calido in laboribus, aerique sicco et calido, carnibus immodice usum fecit, in eum morbum delapsurus est. Hae circumstantiae valent ad morbum producendum; sed hae causae amoveantur, solidisque debilibus robur restituatur, aegrotantes sanabis. Restat ut de potu dicamus, qui ad scorbutum confert, et multos in eum compellit. Aqua pluviatilis mala est, quia nimia aeris copia praegnans est, inquinata, et pessimae qualitatis. Aqua pu-

teanea, stagnalis, et ea maxime quae sub coelo calidiore corrumpitur, est pessima, et innumera mala affert; itidem in longa navigatione, plerumque, corrumpitur aqua, qua tamen nautae ac interdum alii navigantes uti coguntur. Aqua vero palustris et maritima, quae in longa tempestate aut in alicujus civitatis obsidione, aut alia quaecumque necessitate bibitur ad scorbutum gignendum aptissima est. Quaeque si vaporibus suis ad hunc morbum faciunt, quantum magis in potum assumptae faciant necesse est. Vinum autem in universum omne, quod immodice bibitur, huc refertur, nam qualitate sua interdum ad scorbutum facit, quod crassum minusque fermentatum est, quod spectat etiam ad dulce; itemque crassae et non satis fermentatae cerevisiae.

Quae autem de inedia superiori dicta sunt, ea ad potionis quoque defectum pertinent. In opinionis gratiam, sententiam refero de verbo ad verbum. Ex siti pessima dispositio humorum nascitur, dum nec satis diluitur crassum, nec sudori, et urinae subministratur vehiculum sufficiens, ut per has vias acria de sanguine elui possint. *Swietenius.* Er-

go etiam inediae effectus pejores esse dico, ubi cum cibis potio quoque deficit. -- Fames facilius toleratur solius aquae potione. Jam vero inter scorbuti causas cafaeus immodice sumptus referri debet.

Superest ut de re alia, non minoris profecto momenti, mentionem injiciam, scilicet de vitae ratione, qua milites, in civitate Regii, uti erant soliti; solet enim haec fontem esse morborum, qui maximam partem generis asthenici constituunt.

Victu vero haec ferme hominum classis utitur ex pane difficillimae coctionis, et non raro partim e farina frumenti turcici, e milio indico, hordeo, lomento, aut ex aliis ingredientibus pessimae qualitatis, et aqua ad ignem confecta dilutis, componitur. Hinc, insipidum plane hunc cibum, non raro sine sale, et aliquando male fermentatum, crassum, durum, acrem, ineptum, ingratum, ac nulla quandoque dentibus opera concessa, esurientes, ac festinabundi stomachi ingerebant. Aqua puteana variis particulis onerata, non raro corrupta; leguminibus quoque farinosis, quibusdam seminibus siccis, et aliis in-

fimae conditionis damnantur ad usum, utebantur. Acescentia vegetabilia, vel acida, vel proxima, ut talia fermentatione fiant; pariterque induratae, aliquando corruptae, ac salsae carnes, quae interdum scorbutum facere videntur, in usum admovebantur. De vino atque de liquoribus spirituosis, quae perraro militum labris gustanda offeruntur, vix habeo, quod loquar. Haec pars hominum, quae belli agit vitam, tam est commodis vitae omnibus destituta, tamque misera, ut ex rudibus rusticis misero cibo miseriorem vitam trahit; et insuper continuis laboribus collum subdere debet!

I. Propter annonae caritatem interdum scorbutus contigit, et acerba fames multos in eum compellit.

II. De inedia, deque fame loquendo, duae res sunt quae ad scorbutum faciunt: altera est ipsa inedia, altera inutilium ciborum usus, qui eam sequitur necessario.

III. Scorbutus oriri potest citius quo major est ciborum defectus, magisque si non solum a cibo, sed a potione quoque abstinentia sit.

IV. Ex majoris inediae effectibus,

nihil blandi, nihil idonei succi parari potest, sed ineptum est quidquid inde conficitur; unde innumera mala, morsque.

V. Qui inassuetis cibis sustentantur, in pejus incidunt; sed et ad pristinam vitae rationem reducendi sunt.

DISSERTATIO III.

DE MOTU ET QUIETE SCORBUTI CAUSA

Motus et quietis successionem sanitati valde proficuam esse nemo non novit; ast quam parum ad hoc attendunt recentiores nostri! Motus adeo nobis utilis est, ut non solum a plurimis nos liberat infirmitatibus, sed et illas praevenit, modo non sit immoderatus, sed temperamentis et circumstantiis accomodatus. Hic per motum intelligendum volo exercitia quaecumque corporis. Haec a veteribus ita celebrantur, ut in artem fuissent erecta, et scholae publicae ad hoc essent institutae: Gymnasiarcas seu praesides et ministros habebant hae constitutiones, qui de exercitio cuique proprio, de ipsius hora et spatio, etc., judicabant, praemiaque victoribus distribuebant. Ast currente dierum rota, ignavi, et molles facti homines, dimiserunt luctam, pugillationem, saltus, cursus, discum, quae omnia robustum, et firmum efficiebant temperamentum. Nol-

lem utcumque pancratium; neque alia Groecorum exercitamenta apud nostros adducere. Absit, ut populis et effeminatis consulam blandam et meliorem cutem oleo pulvereque condire: absit. Alia tempora, alii mores. Sed quasdam exercitationes facultatibus omnium accomodatas, ipsorumque emolumentum indicare vellem, memini molestus. Inter illas praecipue veniunt quas *Celsus* elegantissime exposuit: clara, lectio, arma, pila, lusus, cursus, ambulatio, etc. ex his, quaedam omnibus non conveniunt neque arrident; ea sunt autem eligenda quae minus displicent. Non omnes lectioni incumbere queunt, vel quia literaturam non norunt, vel audiunt, vel quia negotia non sinunt. His autem qui ad lectionem incumbere possunt, illis qui aliis exercitationibus se dare nequeunt propter infirmitatem quamlibet, vel aliam causam legitimam, his praecipue, qui studio serio occupantur, ad animam divertendam, melancoliam inimicam fugandam, effectusque sedentariae vitae proprios vitandos, convenit lectio hilaris, comoediarum, fabellarum, romanensium fabularum, historiae et similia; haec autem per sesquihoram plusve bis in die, legere licet.

Tempus istud lectionis potest interim consumi in ludo, sed eligi debent ludi societatis dicti, quorum scopus sit animi laxamentum, non lucrum. Qui huic exercitio horam dabunt, meminerint tetrastichi sapientissimi, neque eos decoquat alea, ut quandoque indigne videtur inter etiam mulieres, saepe loquaces, et praecipue inter annosas ac delirantes, haud tamen infimi subsellii, quarum imaginem hilare fecerat elegantissimus *Montesquieu* (1). Si musicae quis indulgeat, neque tuba, neque cornu maxime, neque buccina, nec similibus, sed potius fidibus canat, vel organa, et similia pulset: a musica tamen omnino non possideatur, licet ipsa maxime sit, salutaris cor laetificando. Arma cuicumque non conveniunt conditioni, nec aetati, neque temperamento. Plurimum confert hic sese exercendi modus, ne tamen, ut saepius accidit propter abusum, ad defatigationem usque proten_

(1) J'ai souvent vu neuf ou dix femmes, ou plutôt neuf ou dix siècles, rangées autour d'une table; je les ai vues dans leurs espérances, dans leurs craintes, dans leurs joies, et sur tout dans leurs fureurs: tu aurais dit qu'elles n'auraient jamais le tems de s' appaiser, et que la vie allait les quitter avant leur désespoir: tu aurais été en doute si ceux qu'elles payaient, étaient leurs créanciers ou leurs légataires. *Let. pers.* let. LVI.

datur: motum humorum liberiorem, et membra agiliora efficit: magis congruus est juvenibus, robustis; minus delicatis et his, quorum pectus praesertim est debilius; hemophtysim enim phtysis prodromum in iis procreare valet. Idem de venatione. Non tempore, quo non perficitur digestio, fiat exercitium validum, neque dum corpus adhuc debile est ex progresso morbo. De pila cursuque eodem fere, ac de armis sunt advertenda. Deambulatio illud est exercitationum genus, cui facilius, et commodius favere possunt omnes. Quaedam circa hanc veniunt observanda. Deambulationis tempus optimum credo mane, spatiando lento passu per horam unam duasve; tempore verno et aestivo, ante solis ortum, per primam, post illum, per secundam, modo coelum non sit nebulosum nec frigidius; sero, decumbente sole, per idem circiter temporis spatium. Hiems ambulationi minus propitius videtur, ob frigus rigidum, pluviam, nebulam, nivem, etc.; sub hac tamen tempestate, si coelum sit serenum, deambulare bonum erit, quia calor, qui sic in universum corpus diffunditur, juvat, nedum noceat, ut fit per calorem quo pars tantum quaedam fruitur prope fo-

eum. Locus vero deambulationis melior est in campis, et sub sole, si capiti non noceat, quam in porticu, et sub umbra: nemorum umbracula anteponenda sunt tecto domorum. Locus esto paullulum asper, id est, in ascensum et descensum, quia corpus tunc utilius movetur; rectus potius sit quam flexuosus. Temporis mensura, quidquid jam supra dixerim, non ita determinatur stricte; alii siquidem plus, alii minus horarum in hoc exercitii genere impendere queunt: regula certior, quae a deambulatione desistendum indicat, est quaedam lassitudo cum levi corporis madore. Aliae sunt species deambulationis, quae sua quoque possunt afferre commoda, vectatio nempe et equitatio. Primam, modo celeriter eatur, bonam esse credo, quia tunc, sedente molliter corpore, atmosphaera continuo renovatur: quamobrem, ut fructus inde capiantur, rheda debet esse aperta, et sub coelo puro agros velocius percurrere. Equitatio etiam per optima est, intestina namque et viscera mirifice confirmat; nostris idcirco diebus valde commendatur pulmonicis: sanis quoque prodest, in eo quod praeter alia beneficia segnitiem vincit. In hoc autem differt equitationis usus a

vectione, quod in hac lentius, in illa celerius sit eumdem. Gestatio etiam super undas laudanda.

Sunt et alia exercitia non minus utilia et grata, qualia ludi corpus agitantes, per horas remissionis in collegiis frequentissimi et choreae quae inter nostrates vigent adhuc, quaeque plus damni saepe afferunt quam commodi; in quantum puellae et adolescentuli huic exercitioni nimium indulgent, et tripudium non deserunt, nisi sudoribus submersi, ad maximum defessi et fere effoeti. Perperam tamen inde concludetur hoc laxamentum esse prohibendum; immo illud consulendum reputo, senibus etiam in quibus rigiditatem solidorum emolliret, fluxilitatem liquidorum et calorem nativum reduceret. Sed infauste ab Ecclesiae ministris, diaeteticae prorsus ignaris, choreae tamquam crimen habentur, et illi, qui his indulgent, irae coelesti dicantur (1). Ast ubi peccatum? proh dolor! Invaluit semper abusus, det experientia veri longa abusui finem, quia

(1) Comme s'il y avait plus de mal à danser qu'à chanter, que chacun de ces amusemens ne fut pas également une inspiration de la nature, et que ce fut un crime de s'égayer en commun par une récréation honnête et innocente.

a centro veritatis ad circumferentiam mendaciorum, errorumve, qui non versantur. Eh! quid ajo? quam innumerabiles sunt stulti, et quam numerosiores malignitate repleti! Redeamus ad rem. Cur furorem divinum accendet ludus ex se innocens et sanitati bonus? nonne in omnibus, quae proximo nullo modo nocent, propitium gentis humanae numinem laudare possumus? nonne saltem ad naturae praecepta implenda aptiores erimus, quando vegetiori valetudine gaudebimus. Nonne *David*, Rex propheta, Deo gratus ante foederis arcam, et in conspectu populi dicti Dei, in gyros exultabat? -- Avertat Dominus, ut Ecclesiae decreta spernam.

Senes etiam consilium meum non autoritate destitutum existimant: *Socrates* philosophus, ipse *Socrates* sapientissimus, capite jam cano, jubilans tripudiabat. -- Tripudium, praeter quod plura afferat ex commodis coeterarum exercitationum, mentem oblectat, accuit, ingenium; quisque enim in communione, saepius fucata, nitescendo studet.

Natatus quoque utilis esse potest; motum namque membrorum agiliorem reddit, simulque balnei commoda praestat. Ab isto exercitii genere cavendum,

nam submersio perfacilis est, tum ob fluvii gurgites, tum ob crampos, lipothimias et appoplexias, quae facilius tum accidunt, cum, praesertim calente corpore, quis ruat in undam.

Balnea in fluvio, cujus aquae limpidae super arenas longe currentes prodesse possunt sanitati, autem laxando, et corpus a situ purgando: horum tamen frequentior ne sit usus, nec quacumque diei hora.

Post Venerem, quicumque audent, Bacchumve subire
Flumina, praecipiti solvunt sua crimina letho.

Pediluvia suadenda sunt, sed in aqua tepida, quoniam frigida transpirationis materiem repercutere posset: lavacra item totius corporis paulisper calida optimi sunt moris, in infantibus praeprimis. -- Quidam, verum pauci, in usu habent mane seroque frictiones siccas; assidueque humores, dorsum aliasque partes rudi fricant scopula. Etsi haec exercitationis species prosit illis qui utuntur, eam tamen nemini commendare volumus, nisi status deposcat pathologicus; de hoc autem nullatenus hic est quaestio.

Quies moderata est optima, uti cuique patet, post magnum laborem, lassitudinem, et tempore digestionis. Gene-

statim tandem quies immoderata ignavos ad labores reddit homines, defectus exercitii organibus inertiam affert, et circulationem imminuit. Unde perspirationis Sanctorianae diminutio, glandularum praecipue obstructiones, extrema nervorum mobilitas, atque maxima sensibilitas, evenit; praeterea affectio hypocondriaca, hysterica, et infirmitates variae abundantiae ac mollitiae victus sunt postera; sequitur etiam, quodque attentionem postulat, solidorum atque humorum dispositio prava, quae vim habet ad scorbutum gignendum; aut potius, ex stimuli opportuni defectu, sive rectae status debilitatis morbus quandoque oritur: nam morbi asthenici a minore quam opportuna exercitatione, — sthenici vero a majore, proficiscuntur. Nam etiam iis in locis, in quibus maxime frequens is morbus est, tamen illos praecipue adoritur qui artes profitentur, quae toto die quietem praestant. Pariter quoque in quibusdam morbis longis, ubi aegri, se lecto dum continent, non raro illos scorbutus invadit: morbus exercitationem moderatam ac laborem impediendo, quietem et otium urgendo, in scorbuti causam deducit; tamen aliquando ista debilitas a morbo

praecedente vix est in ejus causa. Si motus nobis utilis sit, et a plurimis nos liberet infirmitatibus, aut et illas praeveniat, oportet, ut non sit immoderatus, sed temperamentis, robori, aetati, et circumstantiis accomodatus. Exercitium modicum juvat, immodicum nocet. Nunc sequitur, ut dicam, quod nimios labores, et exercitationes validas ad scorbutum etiam conferre existimo; sic igitur, variae exercitationes ne sint, ut saepius accidit, ad defatigationem usque protendantur; nam propter abusum fatigatio nimia subsequitur, ex illa etiam morbus saepenumero gignitur, et hoc multis observationibus compertum est, et eadem ferme ratione nimiae vigiliae, lucubrationes nocere possunt. Ergo etiam, siqua est, scorbuti causa, qui milites nostros, in stativa ad Regium lepidi deductos, infestavit, esse potuit insuetam a male sanis laboribus defatigationem, cum aliis forsan praedictis causis conjunctam. Nec dicebam quaesitam putredinem, neque crassitiem, ut veteres fere dicunt omnes, scorbutum gignere, sed potius ex nimia exercitatione quandoque morbus gignitur; immo est, ut dicunt fere omnes sectatores, ac *Brunonis* discipuli, nimiis laboribus, nimiisque exercitatio-

nibus ex stimuli superabundantia debilitas indirecta enascetur, quae scorbuti maxima causa debet esse; sed tamen morbos sthenicos ut sciunt omnes, a majore incitatione, asthenicos vero a minore proficisci. Testante *Brunone*, morbos asthenicos, nunc ex stimulo extremo, nunc ex causae sat satis stimulantis defectu, descendere, et eadem ratione in scorbuti causam aequaliter venire possunt; his, inquam, positis, vix opus est ut hic multis verbis enuntiem, quam facillime ex imminuta solidi viventis robore, ac humorum velocitate crescit debilitas; itemque cessante proba et debita musculorum actione, magis magisque augetur scorbuti dispositio.

DISSERTATIO IV.

DE VIGILIA ET SOMNO SCORBUTI CAUSA

Quamvis somnus mortis imaginem quamdam praebeat, cum illo durante ad nihilum apti simus, tamen adeo necessarius est ille, ut si vigilium diutius protrahamus, id fieri nequeat sine magno sanitatis praejudicio. Itaque alterne vigilare, et dormire maxime necessarium est. Vires per vigiliam prostratae somni beneficio resarciuntur, aegritudines animi sublevantur, insania corrigitur, digestio faciliùs perficitur, quia per somnum facultate animali quiescente, naturalis validius agit (istud probatur ex *Hippocrate* et *Sanctorio*), dolores quicumque sedantur, solida laxiora fiunt, liberius perficitur motus sanguinis, et humorum, concoquuntur sputa, et alia excrementa, etc.

Functio igitur adeo necessaria, et quasi nobismet imperans (1) minime ve-

(1) Quel barbare et long supplice, que celui de l'insomnie! l'homme éveillé qui ferait une telle loi, ne

nit negligenda: ast quantum spernitur, et quot mala procreat pauca hujus sollicitudo! In mortem fere adduxit magnam hominum partem, ipsasque mulierculas, somno brevius indulgendo, vel tempore inopportuno; videmus enim quotidie individua ex utroque sexu delicatiora, ac deliciis dedicata, noctes transire in spectaculis, choreis, coryceis, vel deambulationibus, horasque matutinas in lecto dormitantia praeterire. Quid inde? Facies pallidae, tristes, fere hippocraticae, oculi cavi, constitutio languida, tusses, catharri, anginae inflammatoriae, peripneumoniae, pleuritis, rheumatismi, febres, et quinquaginta similia, quae poenas imprudentiae certas infligunt, sicut experientia luctifera, maxime in sexu amabiliore, demonstrat. Heu! in sexu deceptore, qui nihilominus habet tanta pulchritudinis ornamenta (1)! Tu,

saurait donc pas que le sommeil est le besoin le plus impérieux, et un acte aussi indépendant de la volonté de l'homme, que le battement de son coeur et la circulation de son sang; il ne saurait pas que punir, par exemple, un homme qui s' endort, ce serait le punir de respirer... On trouve dans un écrit un exemple de l'exécrable et farouche barbarie d'un Nycostrategue, qui ayant trouvé un soldat endormi dans sa guérite; ce commandant de la ronde tua le malheureux pour le réveiller!

(1) La femme est la joye et l'ornement de l'univers, elle répand le charme sur notre vie, et fait naître dans

nobili genere nata foemina, tu, vero virtute beata, spes mea, immensaeque meae benevolentiae digna, dignaque amari o formosa!... Te obsecro per Deos immortales valetudinem tuam tueri; ego ad te mox reversurus sum, et si Numina sinant tibi optatos dabo amplexus! Redeamus ad objectum, pauca tamen de necessitate somni, pauciora de domina mea erga salutem suam, et benevolentiam meam dixi. Ego quidem molestus retrocedendo, ex corde recogito tormina, quibus cruciatus fuit *Regulus*, et supplicium illi inflictum; fremescit anima, et horrent capilli ad solam nigerrimi hujus supplicii reminiscentiam: rigore corripitur corpus in describendo tam execrando supplicio (1).

---

nos ames toutes les sensations délicieuses. Ses qualités physiques et les agrémens du corps ne nous présentent absolument que des organes de plaisir, qui lui donnent les droits les plus beaux et les plus légitimes à notre amour et à notre reconnaissance. Rendons grace à la nature qui a destiné le plus beau de ses ouvrages à être le dépositaire du genre humain, le digne objet de nos hommages, et dont la possession nous garantit la suprême jouissance.

(1) *M. A. Regulus* Consul au Sénat Romain, pour la deuxième fois, commandant l'armée Romaine en Afrique, fut fait prisonnier par les Carthaginois, qui l'envoyerent vers le Sénat, pour faire rendre quelques prisonniers de consideration que l'on avait fait sur eux; et en lui faisant donner le serment qu'il reviendrait à

Usque quo insipient homines? quidni dies vigiliae, et noctes somno consecrare? sic statutum fuit a natura sapiente; ipsius leges neque unquam infringuntur impune. Ergo die vigilare, noctu dormire decet; somnus enim diurnus nocet, nisi fiat post lassitudinem magnam, aut noctis praecedentis insomniam.

Mediocris debet esse somnus, et tranquillus; immodicus vires frangit, etc.; perduret igitur per septem octove horarum consequentium spatium quolibet nictymero. Consuetudini tamen paululum est obtemperandum, et in hoc, et in forma decubitus, de qua dicemus quod agit pessime, qui supinus decumbit, quia oneirodynia gravativa, sive epilepsia nocturna, aut pollutiones quoque nocturnae concitantur, propter dormientis posituram. Decubitus forma melior esse videtur, primo in latus dextrum,

---

Carthage, s'il ne pouvait obtenir la liberté des prisonniers; ce que n'ayant pas conseillé au Sénat de faire, il retourna à Carthage, où il esperait de subir une terrible mort: là on le fit mourir par le long supplice de l'insomnie.

O Regule! – Neque vero tum ignorabat se ad crudelissimum hostem, et ad exquisita supplicia proficisse: sed jusjurandum conservandum putabat. Itaque tunc, cum vigilando necabatur; erat in meliore causa, quam si domi senex, captivus, perjurus, consularis remansisse. *Cicer. de off.* lib. III. cap. 27.

dein in sinistrum, capite paulisper elato. Stragula non ponderosiora sint, neque leviora, sed pro tempestate opportuna. Dormiens ab humiditate nocturna se totum et in primis caput tueatur; nec corpore madido exurgat, neque stragula subito dimittat; indusia mane mutet; in lecto solito, quantum poterit, cubet, quia ibi somnus est placidior, hoc experientia non ratiocinio comprobatur; solus cubet, vel saltem concubantes repudiet homines sanitatis suspectae; quoniam in dormientibus pori cutis inhalantes exhalantesque latus hiant: ex hoc salutare esse senioribus cum juvenibus, *Davidis* more, cubare, cachecticis cum sanis; ast quod his prodesse, illis noceret.

Sunt qui censent statim a coena lectum esse petendum, somnolentia etiam qua cito post cibum premimur illud indicat, ast *Sanctorius* huic refragatur sententiae dicens, somnus a cibo quatuor horis circiter est utilior, etc. Melius cogito, cum aliis, post prandium levi deambulationi et animi laxamentis indulgendum esse. Generatim loquendo, qui brevius aut diutius dormit, vel rarius aut crebrius, si inde sanitatem nullo loedi modo noscat, per-

severet, sin contra, mutet habitum: sic in omnibus.

Loquendo de somno, tacite quasi locuti sumus de vigilia; sicut enim quod non est prosa in oratione est poesis, et vice versa; ita in tempore vigilat, qui non dormit, non obstante quod de statu inter utrumque medio fertur; de noctambulismo quidem dubitamus, legatur tamen quidquid scripserit sua manu *Henricus-ab-Heerz*, de quodam poeta, et aliis, quidquid *Bosquillon*, de oneirodynia activa, etc.; D. *Pinel*, professor optimi ingenii, plenae doctrinae, ac omnis diligentiae in observando, nos, cum summo ordine, et recenti memoria, de quo certiores fecit. Coeterum, si talis status extat, ad pathologiam pertinet, cui locus hic non est.

Quae de nimia quiete, et de nimio corporis exercitio dicta sunt, dici etiam de vigilia et de somno nimis prolongato possunt: nam in somno quies est eo major quo magis somnus longus atque profundus est. Somnus vero nimis prolongatus corpus debilitat; sensuum activitatem, et vim vitae imminuit: sensibilitatem magis atque magis obtundit, et corpus totum molle efficit. Post longum somnum caput gravari, motus valde

languescere; memoria frangi, et sensus hebetari videntur. A nimia vigilia quoque vires resolvuntur, et corpus reddi potest majoris ponderis, dum cessat utilis perspiratio; functiones vitales ac naturales languescunt, et viscera, in regione epigastrica, laeduntur. Uno verbo, vigilia nimis prolongata seriem malorum affert, et vitam contrahit. Ita, ferme ratione, concludendum est, sicut debilitas totius systematis, a quacumque causa orta, ad scorbutum facere videtur, itidem debilitas a somno nimis prolongato, aut a nimia vigilia in eodem causam venit. De somni nimis longi atque de vigiliae effectibus non est in stationariis militibus, cur hic exponam: lector ipse ex se judicium ferat.

DISSERTATIO V.

DE ANIMI PATHEMATIBUS SCORBUTI CAUSA

Animi motus, seu perturbationes, tantum habent in corpore influxum, ut alii sanitatem et debilitatem restaurant, alii morbos diversos evolvant, immo mortem subitaneam inferant aliquando. Quomodo plerique agant in nos, illud explicare non enitar, etsi plurimi vim illis tribuant, verbi gratia, laetitiae vasa dilatandi, metui vasa constringendi, irae facultatem animalem primum intus pellendi, dein eam ad exteriora affatim deducendi, etc. Licet et hoc ad certum usque gradum verosimile sit, non sufficienter probatur, ut modo prorsus ignoto illos agere non credam, haec metaphysicis otiosis disputanda relinquo; jam sat ardua est medicina, quin novis et gratuitis implicetur difficultatibus, rebus physicis et utilioribus insistens inane inanibus remittit.

Quidquid autem sit de re adeo obscura, hoc semper certum remanet, quod

in genere amicitia, spes, laetitia (1), amor interim, valetudini certe conferant; quodque huic noceant pavor, pudor subitus, moestitia, odium, ira, zelotipia.

Quamvis autem gaudium videatur sanitati bonum, si tamen sit nimium et insperatum, valde luctuosum evadere, plurimae testantur observationes. Refert *Aristoteles* mulierem sic animam expiravisse, et *Philipidem* poetam comicum, victoria inesperate parta, prae gaudio illico decubuisse. Scripsit etiam *Gellius*, *Diagoram* obiisse, tres filios suos adolescentes coronatos cum vidisset. Sic *Chilo*, *Sophocles*, *Euripides*, *Dionisius* Siracusarum tyrannus prae laetitia strangulati fuere, notante *Plinio*. Demum retulit *Valerius* duas mulieres demortuas esse, una cum accepisset, post cladem ad Thrasimenum lacum, filium suum sospitem vivere, alteram inter amplexus redeuntis.

Verecundia, etsi sensibiliter nocua non appareat, aliquando tamen valde funesta evadit, ut accidit *Diodoro* dialecticae professori, qui dum quaestionem

(1) Jucunditas cordis est vita hominis. Tristitia non des animae tuae, et non affligas temetipsum.

Stilboni solvere non potuit, statim exanimatus est (1). Similem exitum habuisse *Homerus*, literis fuit mandatum (2), quia quoddam a piscatoribus propositum dissolvere nequivit.

Nulla hic exempla viduarum, aliarumque pro moerore defunctorum, nulla prae ira, proferam; omnibus undique affluunt.

Amor, dulcis amor, etiamsi quandoque sit maximae utilitatis, animos namque extollit, pollet, humorum omnium motum beatum facit; valde tamen noxius est in quibusdam; ipsiusque commoda, et incommoda bene perpensa, dubium relinquunt cogitantem, utrum plus utilitatis quam noxae afferat. Attamen amorem plura commoda protulisse et proferre, quam mala existimo; et si a plurimis habeatur tanquam munus funestissimum e *Pandorae* capsula elapsum, non miror, nam minime attenditur ad actiones heroicas ex amore ortas, dum plurimum insistunt tragediis, historiisque saepe falsis, quarum heros amasius fuit furiosus: et tunc non adest amor, sed furor, et odium.

---

(1) *Plin.* lib. II. cap. 53.
(2) *Val. Max.* lib. IX. cap. 15.

Amor sit ratione innixus (1), non autem insanum desiderium possidendi objectum, cujus possessio brevi fastidium adducet: sic qui inconsiderate huic quondam dulci motui largius indulgent, ni vota impleantur, in morbos funestissimos, ut dixi, incidunt, verbi gratia, erotomoniam, cujus exempla nobis praebent miranda, D. *Quixota* ob Dulcinam suam delirans, et vagans, *Salo-*

(1) L'amour en lui même est-il un crime? n'est-il pas le plus pur, ainsi que le plus doux penchant de la nature? n'a-t-il pas une fin bonne et louable? ne dédaigne-t-il pas les ames basses et rampantes? n'anime-t-il pas les ames grandes et fortes? n'ennoblit-il pas leur être honnête et sage? il faut-être inaccessible à ses traits, dis, que reste-t-il pour la vertu sur la terre? le rebut de la nature et les plus vils des mortels. *Nouv. Héloïse* V. part. let. XV.

L'amour imprime à l'ame un nouveau caractère; elle reçoit par lui une trempe de douceur et d'humanité.... C'est le premier mouvement d'une ame tendre et pure... L'amour est le contrepoison de la débauche, le compagnon de la force, du courage, des grandes entreprises... L'amour est une vertu, il ne peut ni endurcir les coeurs ni détruire les vertus civiles... L'amour communique son sentiment aimable et généreux à tout ce qui le touche; il inspire des pensées vastes et élevées...Le véritable amour n'habite point dans les ames basses et rétrécies, ou il les change bientôt, etc. *Mon Bonnet de nuit* tom. 11.

L'amour heureux embellit non seulement la vie, et répand la sérénité sur son horizon, mais il entretient la santé, et multiplie l'existence. L'amour malheureux remplit la vie d'amertumes et de regrets, et donne naissance à des affections cruelles.

mon ad idolatriam usque adamans (1), *Tasso* ob amorem Principis per quatuordecim annos insaniens, *Antiochus* ob Stratonicem cubans; sic *Aristoteles* philosophus, *Lucretius*, etc., sic *Dido*, infelix *Elisa* ob perfidum *Æneam* mortem sibi inferens (2).

„ ..., et, os impressa toro, moriemur inultae?
„ Sed moriamur, ait. Sic, sic juvat ire sub umbras. „

„ ... Atque illam media inter talia ferro
„ Collapsam aspiciunt comites, ensemque cruore
„ Spumantem, sparsasque manus. It clamor ad alta
„ Atria: concussam bacchatur fama per urbem.
„ Lamentis, gemituque et foemineo ululatu
„ Tecta fremunt: resonat magnis plangoribus aether. „

Dulcis amor quot magna potens miracula pandis!

Nunc de aetate, ac de tempore apto ludis, hic breviter sit verbum. -- Aetas sola apta ludis amoris est adolescentia perfecta, floridaque virilitas. In solstitio vitae praecipue conveniunt ludi.

Hinc juvenes Veneris vexilla sequantur adulti,
Laetaque ferventis subeant certamina amoris.

Quibus autem Veneri litare datur, discant, quod hujus vexilla non omnibus indiscriminatim conveniant aetatibus: in aetate enim teneriori funestis-

(1) *Salomon*, Judaeorum Rex sapientissimus, filius *Davidis*, et *Bethsabeae*. Ab eo Jerosolymis templum Deo summa magnificentia extructum est.

(2) *Dido*, Beli Tyriorum Regis filia, Sichaeia conjux.

sima, et inanis foret ad Paphos navigatio praematura.

Non aetas primaeva potest, nec lenta senectus,
Sic juvenes, firmaque viri virtute vigentes
Soli crebra valent Veneris certamina inire.

Canities etiam, si residuum annorum non languide transigere velit, et horam citius ultimam attrahere, mulierem ne tangat.

Concubitum pariter fugiat rugosa senectus,
Ni vult e thalamo properans descendere in orcum.
Ecce senex annis curvus, fractusque catharris
Formosam socio juvenem sibi foedere jungit:
Huic desunt vires, nulla hunc succendere taeda
Divus amor potuit, tremulo concreta gelascunt
Pectora, nec Veneris poterit conscendere ad aras (1).

Fatebor equidem, quod dentur homines bene nati, qui validum vigorem ad quinquagesimum annum et ultra proferant, sed a particulari non concludi debet pro generalibus.

Verum enim vero, sicut omnis aetas non est apta Veneri, similiter omnis anni tempestas non aeque favet huic gaudio; aestate enim vires obruit nimius calor propter immodicos sudores majoremque spirituum jacturam: in autumno vigore vegeto non pollent corpora, ut quisque non ignorat; febres

(1) O Dii boni, quid est in vita hominis diu!

tunc partem populorum occupant, partem minantur: glacialis hiems calorem nativum fere superans parum accomodata videtur exercitio, quod exquisite depostulat ardorem: tempus vernum omnium tempestatum faustissimum est ad celebrationem operis supremi generationis; tunc nova quasi lux affulget, nova vita surgit, tunc firmius vigor, viridaria camporum, flores plantarum, cantus avium, fermentatio quaedam generalis in natura, subsultus quidam in corpore, etc., nos incitant ad propagationem; tunc temporis animalia bruta, naturae nobis proxime viventia, amoribus indulgent; homo, solus homo, quocumque anni tempore ad perniciem suam Veneri servit.

Anni certa tamen Veneri magis apta videntur
Tempora, quae vegeto succedunt robore corpus.

Amor talis est ver, ut hic supra demonstratum videre datur. Non solum autem non auscultant homines tempestati, sed nec horae, ad quam maxime attendere debent; nam si altaria Cythereae quis ascendat stomacho debilitato per abstinentiam, scilicet, longe post digestionem perfectam vires jam languescentes penitus obruit, et in funestos saepius incidit affectus: si e con-

tra ante factam digestionem stricte complectatur uxorem stomachum laedit, digestionem turbat, et si tunc conceptio fiat, efformatur puer languidus, infirmus, stupidus, supplicium patris, matrisque flagellum.

Tu stomacho dapibus vacuo, nimiumve referto
Conscendas nunquam imprudens altaria amoris.

Hora igitur amori dicanda sit quarta, vel quinta post cibum, quia tunc digestio perfecta nutritionem et robur in intima corporis immisit: solemnia amoris

Tunc celebrare licet, Veneri sua solvere vota
Tunc juvat, et dulci tuto se jungere nexu.

Porro si sperma in vasis suis diutius est retentum funestum evadit, simulque ipsius dissipatio frequentior gravissima procreat accidentia (1); ingenii vires frangit, corpus reddit prorsus imbelle, stomacho plurimum nocet, nervos offendit, sensus hebetat omnes; uno verbo, innumeras infirmitates affert, tandemque horam appellat ultimam. Haec omnia accurate illustravit et ratiocinio, et millenis observationibus, strenuissimus, et percelebrandus D. *Tissot*, in suo egregio opere de Onanismo. Non obstantibus tamen perterrendis exem-

(1) Omnis in modo virtus est.

plis, quae refert auctor benevolus, plures quotidie incidunt in peccatum, et semper cruciatibus, quandoque morte, poenas luunt intemperantiae; vel si turpi non indulgent manustuprationi, in pejus ruunt maximo suo detrimento. Sic infeliciter videmus juvenes qui ubi delicias quaerebant, ibi tormenta invenire, haud secus ac coenobita germanus, quaerendo pulverem homines dilaturum, invenit pulverem gentes dextructurum. Heu! quot facies antea fulgentes, et floridae, nunc pallentes et macilentae, quot adolescentes, quos alcidas totidem credideras, vulneribus sauciati turpibus, cadavera vix moventia se praebent, ac sola manet horrida vita (1)!

Hos ad saeculum integrum valetudinem conservaturos praedixisses; aspice, ut quintum lustrum jam non attingentes incedunt languidi (2), ut mors supra caput ipsorum falcem agitat, brevi auferendum. Invulnerabiles, ut *Achilles*, videbantur; hic *Minervam* in tem-

---

(1) Huc bene venit, si aliquo melior est mors quam vita amara, et requies aeterna, quam languor perseverans. Mors modo quidem mala non est, et in sepultura nihil sentiunt corpora mortuorum; post mortem nihil ad mortuos pertinet.

(2) Gustans gustavi in summitate virgae, quae erat in manu mea, paullulum mellis; ecce ego morior.

plo deprecans, in talo lethaliter transfigitur, illi in lupanare *Venerem* colentes, crudèliter ad mortem usque vulnerantur; sicut sagittae venenum tendoni immissum totam herois massam sanguinis infestavit, pariter lues venerea, lues execranda, atque nefanda universos imprudentium coinquinat humores.

Horridus hic morbus quo non crudelior alter.

Abstinentia coitus prolongata varia mala, perterrendasque calamitates generat, maxime in iis, qui temperamento lascivo donantur, et per *Veneris* usum saepe ab his affectionibus liberati fuerunt (1). Opportune ideo dixit di-

(1) „ Les plaisirs de l'amour sont utiles lorsqu'ils „ sont pris avec modération. L'art d'assaisonner les plaisirs, en général consiste à en être avare. S'abstenir „ pour jouir est la philosophie du sage, et l'épicuréisme „ de la raison. On double non seulement ses jouissances par ce moyen, mais on affermit sa santé. Le „ coït quand on en use avec sagesse, favorise la transpiration; il rend le corps plus léger et plus agile: il „ augmente l'appétit, et aiguise l'esprit. On connaît „ qu'il est utile à la santé, lorsqu'il n'est suivi ni de „ langueur, ni de douleur. „

„ De sombres misanthropes ont fait un crime de „ l'amour, et se sont efforcés de vouloir l'anéantir „ dans le coeur des hommes sur lesquels ils regnaient „ par l'opinion. Cette doctrine, aussi absurde qu'extravagante, ne tendait à rien moins qu'à détruire „ l'espèce humaine, si la nature n'eût pas été plus „ forte que ces docteurs; elle dit à tous les êtres de „ se propager, et il n'y a que les apôtres du néant „ qui méritent d'être anéantis. „

vus senex de effectibus plurimis destruendis : Mulier praegnans fiat, Virgo vere nubat. Istud quotidie experientia comprobatur; Virgo, amabilis Virgo clorosi laborans, et multivariis affectibus languens,

Quae prius insigni fulgebat fronte puella
Nunc vultu tremebundo refert exangue cadaver.

Omnia pharmaciae incassum adhibentur auxilia; celebrato matrimonio, resurgit:

Haec matura viro socio se foedere jungit
Virgo, brevi vegeto fulgescunt albida vultu
Lilia mixta rosis, redivivo membra vigore
Assurgunt, pulchramque ostendunt corpore formam:
Nunc micat egregio praestans splendore puella,
Quae prius, exanimis, tristem properabat ad orcum,
Vitalemque afflat venus ipso in pectore flammam.

Amicitia constans, et reciproca sanitati juvat; sique aliquando aerumnarum caussas afferat, animi firmior esto (1).

Spes bene fundata prodest, dum ambitio, et invidia (2) nocent. Tristitia

(1) „ L'amitié est un sentiment doux, et qui diffère entièrement de l'amour, en ce que celui-ci est „ toujours guidé par l'appétit matériel des sens, tandis que l'autre est l'union qui existe indépendamment, des sens, entre deux personnes sensibles, et „ vertueuses. L'amitié a aussi ses martyrs. Au siége „ de la *Chapelle*, un Espagnol mourut en tenant embrassé le cadavre de son ami. *Horace* ne survécut „ que neuf jours à la perte de *Mécène*. „
Amicus fidelis medicamentum vitae.

(2) O invidia nemica di virtute.

omnino avertenda (1). Si quis luctus causas habeat, quis non habet a principio vitae ad mortem usque! comedias, musicam, choreas, adeat; lectioni hilarae studeat; iter faciat maritimum, festivum, equestre, aut curru ipsum agere, aut pedibus oportet conficere, etc., solitudinem, invitus etiam, vitet: quisque tandem et felicitatem, et infortunium eodem vultu accipiendi capax esto.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Fortiaque adversis opponeto pectora rebus.

Metus valde nocens est; vasa enim constringere creditur. Si in istanti pavoris inopinati tangatur carpus, pulsus deprehenditur parvus, celer, depressus; cor etiam palpitat, pallor faciem obumbrat, frigus artus obsidet: unde patet quanta exurgere possint mala ex improviso terrore. Igitur ad praecavendos effectus illius funestos, rebus ex locis periculum ministrantibus se objiciendum non est; animus constans, et

(1) Animus gaudens aetatem floridam facit, spiritus tristis exsiccat ossa. prov. XVIII. - 12. Tristitiam longe repelle a te, multos enim occidit tristitia, et non est utilitas in illa. A tristitia festinat mors. Tristitia flectit cervicem. Eccle. XXX - 24. 25. XXVII. - 21. XXXVIII. 19. prov. XV. - 13. -

validus servetur improvisis; a facinoribus abstinendum, quae metum perpetuum infligunt animae. *Diogenes* innocens in cado jubilat, et placide dormit; *Dionysius* in Palatio perturbatur, et Agrypnias patitur continuas (1).

Cum despectu, et incredulitate audiantur, vel melius fugiantur aniles fabulae de spectris, larvis, lemuribus etc., de his nullum sit verbum coram pueris, quibus pessimum est, terrorem quoque incutere modo, ut plures, ridendi gratia, imprudenter faciunt: ex hac insipiente methodo evadunt non nulli homines, qui tanta nervorum sensibilitate donantur, mulierculae praesertim natura sua quoque irritabiliores, ut ad minima tremulent, et in Syncopem cadant ad aspectum araneae, campes, etc.

Nil mediocre vident, nil quod ratione regatur.

Odium multum nocet; animam etenim durius agitat, somnum perturbat, et digestionem, etc. Odium relinquatur animabus feris, et robustioribus. Animam nobilem et delicatam laedit: qui odit, qui invidet contemptus est dignus,

---

(1) Sonitus terroris semper in auribus illius, et cum pax sit, ille semper insidias suspicatur . . . Tyrannus, circumspectans undique gladium. Job. XV. - 12. - 22.

et charitatem, gloriam, honorem acquirere nescit. Hinc omnia animi pathemata vividiora sedulo fugienda, quaedam prorsus ignoranda.

Ira adeo horrenda est, ut hominem bestiis feris similem efficiat, furorem, phrenitidem, hemorragias, apoplexias, vasorum ruptiones, convulsiones, et aliquando mortem inferat: adeo funesta esse potest ira, ut

Visa fuit cordis violento verbere pulsa
Costa e nativo paulatim sede moveri
Fibrarumque adeo rupta compagine frangi.

Zelotypia, quae bona sorte in Gallia non est familiaris aeque ac in Italia, et in tota vero Europa ac in Asia; sua tamen corda inter nostrates torquet, unde plurima variaque surgunt mala (1).

His, qui hunc serpentem nutriunt, consilium darem parum de eventu fieri solliciti, oculos a minimis avertere, immo claudere, mutuam statuere libertatem, ac tandem rationi aures praebere potius quam insanae opinioni; tunc minus timidi agnoscerent, vano terrore fuisse perculsos. - De uxoris virtute certiores fiant mariti ....

Jam tandem, digressione concessa,

(1) Zelus et iracundia minuunt dies.

revertere ad objectum convenit, sic pergamus. Ex animi affectibus, de quibus brevi jam locutus sum, ut alii quoque interdum ad scorbutum faciunt, maxime tamen ista passio nomine Tristitia, terror quoque, et metus longa (1) inter scorbuti causas ab omnibus poni debent. De his tantummodo dicendum est, silentio alias praeteribo. Ac tristitia quidem, in qua varii et multiplices affectus continentur, ut angor, luctus, moeror, sollicitudo etc. in scorbuti causam fere veniunt, ubi vero longo tempore persistunt: eorum quoque effectus sunt fere iidem, consequenter, ex iis similia, atque similia mala certe eveniunt; quae autem externis signis deprehendi possunt, pallore, horrore, frigore, artuum tremore, et arteriarum pulsu. Saepe autem scorbuti morbus non protinus ab iis causis fit, sed intercedente melancolia. Ex quibus, in tristitia, quoque timore motus vitales

(1) Il ne faut pas confondre la terreur avec la crainte. Celle-ci agit en diminuant considerablement les forces vitales, tandis que l'autre au contraire les augmente, et décide les mouvemens les plus forts, et les plus violens. La crainte lente, et la crainte des maux futurs, engendre la mélancolie morale, et agit de même que les autres passions, qui diminuent l' énergie des forces vitales, et aménent l'état de faiblesse.

languescere videntur (1). Unde non solum solidorum inertia, prostratio, atque constrictio spasmodica sponte oriuntur, verum etiam pondus ad regionem epigastricam persentitur; tum vero pulsus parvus, lentus, quandoque frequens, sed semper inaequalis fit; secretiones, et excretiones diminuuntur, maximeque perspiratio; paulo post, colapsus faciei, hypocondria, febris nervosa aut cachexia superveniunt, et aliquando mors ipsa. Itaque enim, qui aliis animi affectibus supra dictis expositi fuere a scorbuto tantum, vel aliis quoque permixto, teneri possunt.

Ex animi affectibus, existimatur au-

(1) „ La peur et la crainte produisent un resserrement subit dans l'épigastre: la respiration est gênée et entrecoupée de soupirs, le coeur palpite, tout le sang et les humeurs sont refoulés avec les forces dans l'intérieur, le visage pâlit, tout le corps devient tremblant, les jambes se dérobent sous le corps; le pouls est petit, serré, fréquent et irrégulier. Enfin le spasme est si violent et si général, qu'il occupe même le système veineux, et que le sang ne sort pas de la veine qu'on a incisée. Toutes les évacuations sont supprimées par l'effet de ces passions, excepté celles du ventre; car pour l'ordinaire celles-ci sont augmentées, et presque toujours la peur et la crainte donnent la diarrhée. Elles ont très-souvent produit des affections nerveuses incurables, comme la paralysie, la mélancolie, la démence, l'épilepsie; elles disposent singulièrement le corps à recevoir l'impression des miasmes contagieux.

tem quod, maxime tristitia, et terror inter causas scorbuti poni debent; nam constat, et experientia probat, quod diuturnae tristitiae scorbutum gignere possunt.

Notandum est etiam, quod talis potentia, tam apta ad sanitatem perturbandam, milites saepe consternat, et ii speciatim, qui procul a dilecta patria, aut longe a parentibus amicis, misere spatium decurrunt vitae; non raro quoque ex iisdem animi cruciatibus, languidi efficiuntur, aut ex misera vita in nosocomiis discedunt.

Scientia vero medica nulla alia re magis excoli magisque perfici potest quam ei operam dando, quod fit, in rebus medicis experimentando, maxime et studio indefesso colligendo observationes veras, justas, atque exactas; ex his vero artis cultores deducant summa cautione et diligentia conclusiones, quam fieri potest, certas: id si verum est, laborem hunc meum spero quidpiam verae lucis allaturum esse rei medicae, quae potissimum ad scorbuti curationem spectat.

Postremo loquar de scorbuti curatione, de modo remedia expediendi administrandique, de victu, et de cura

speciali; neque ea solum, sed etiam menses ac dies, quibus morbus incipit, ingressus, aetas, nomen, patria, et conditio aegroti, adnotantur. Ego in cura aegrotantium nostrorum summam adhibui prudentiam, et omnimodo tentavi solidis debilibus vigorem restituere, et imbecillem animum confirmare. Maximam attentionem in hac re medicus semper habeat.

Pharmacopola nosocomii regiensis, summam in remediorum delectu rectave administratione diligentiam atque industriam adhibuit. Eique refero gratias.

HISTORIA I.

Fidelis aman Paulus Kieken, IX. cohortis eques, Belgicus, ex loco Caudekerques, 23. aetatis suae annum nunc agit, juvenis sat firmo corporis habitu instructus. Initio circiter mensis junii anni 1806. a scorbuto afflictus fuit, et die 26. julii ejusdem anni ad nos delatus, sequentia obtulit animadvertenda. Facies erat tristis ac vox flebilis, aversio omnis generis exercitationis, debilitas maxima, indolentia, lassitudo quoque membrorum ade-

rat. Ex quo morbo, os, et spiritus male olebant, gingivae tumidae, rubrae, cruentae, marcescentes, atque exesae erant, dentes nigrescentes lababant, quoque saliva acris effluebat; maculae varii caloris in summa cute oriebantur. Spem in remediorum anti-scorbuticorum usu reposuimus, ac de salute aegrotantis sperantes sic praescripsimus.

Rec. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor. Sum. pro dosi. Vini generosi, uncias duodecim. Capiat uncias sex mane et vesperi. Garg. antiscor-butici uncias octo (1).

Decoctum anti scorbuticum pro potu. Victus lautus cum vini optimi libris duabus.

Prosecuti sumus in omnibus per dies 21. Miles melius se habebat, ubi febris ex adverso fato se adjungit.

Die 15. augusti mane a frigore corripitur aeger, quod hora cum dimidia perdurat; sequitur dein calor, oris amaritudo, linguae sordities, atque nausea, pulsus cum frequentia micabant, caput dolebat, pondus circa pectus, persentiebatur, sitis urgebat.

Cito omnia remedia anti-scorbutica

(1) Vid. Composita, quae unice ad historiam morbi hic delineati spectant.

seposuimus, diaeta 1. Cum jusculis praescripta est, et citrea potio de die sumenda.

Vespere

Febris aliquantisper cessavit, tamen ad frontem capitis dolor continuat, et de oris amaritie conqueritur.

Mane 16. mensis die

Res eodem modo continuant; symptomata gastrica ut heri.

Rec. Tartritis Potassae stibiati, grana tres.
Solve in aquae communis, unciis sex.
Capiat aeger pro dosi.

Quinquies evomuit, bis faeces deponit.

Vespere

De quadam conqueritur anxietate, nec in somnum inclinat aeger,

Rec. Haustus narcotici, uncias quatuor.
Capiat duabus vicibus.
Diaeta eadem.

Mane 17. m. d.

Bene quievit, os amarulentum: lingua albidiuscula.

Rec. Aquae Tamar. indor. libras duas.
Tartritis Potassae stibiati, granum unum semis. Solve lege artis.
Detur pro potu.

In diaeta continuet.

Vespere

Oris amaror valdopere imminutus coetera bene procedunt.

Mane 18. mensis die

Nihil novi ; quievit .

Repet. med. hesterna
Diaeta II.

Vespere

Nil novi .

Mane 19. m. d.

Disparuit oris amarities ; bene dormivit : Resque optime procedunt.

Diaeta tertia cum vini libra

Vespere

Nihil novi observatur.

Mane 20. m. d.

Bene se habet: in diaeta et vino continuet.

Vespere

Nihil novi

Mane 21. m. d.

Melius se habere fatetur: in diaeta et in vino continuet .

Vespere

Nil novi . 6

Mane 22. mensis die.

Per bene se habuit. Diaeta quarta cum libra vini.

Vespere

Nihil novi.

Mane 25. m. d.

Rursus omnia remedia anti-scorbutica praescripsimus.

Victus lautus. Vinum.

Gingivae adhuc laxae, et tumidae erant. Exhibuimus sequentia gargarismata:

Rec. Aquae hordeatae, uncias octo.
Mellis rosacei, uncias duas.
Acidi sulphurici, quantum satis ad gratiam.
Misce.
Fiat gargarisma.
Saepius adhibendum.

Prosequuti sumus in praedictis subsidiis usque ad perfectam sanationem; die tandem 1. septembris, 37. ingressionis, aeger ex hospitio instituto laetus et integre restitutus egressus est.

HISTORIA II.

Constantinus Fidelis Louf, miles IX. Legionis equitatus, gente Belgicus, ex loco Bailleuil, 22. Circiter aetatis suae

annum attingens, juvenis parum robustus, jam a 2. mensibus scorbuto laborat. Die 26. mensis julii 1806. hospitium institutum adiit, et nos in auxilium vocati, observavimus sequentia: Gingivae inflammatae, tumidae, rubentes, laxae, a dentibus nigrescentibus recedentes, marcescentes, atque exesae erant; et leviter pressae, sponte cruorem emittere solebant, os tamen et spiritus male olebant. Pro sanitate aegrotantis sequentem ingressi sumus methodum.

Rec. Decocti anti-scorbutici libras duas, pro potu. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor, sum. pro dosi. Vini generosi uncias duodecim, sum. uncias sex bis de die. Gargar. anti-scorbutici uncias decem.

Victus lautus cum vini optimi libris duabus.

Quotidie in praescriptis remediis continuavimus.

9. mensis die augusti

Foedae, fusci coloris, et foetidae conspiciebantur gingivae; eorum ulcera erant quoque nigra, et arida, tum maxime praescripsimus gargarisma antisepticum, et alia omnia remedia antiscorbutica.

Diaeta lauta cum vini boni libris duabus.

15. mensis die

Melius se habuit, tamen tarde serpentia continuant ulcera. Praeter remedia jam allata, tunc acidum muriaticum dilutum in usum vocavi.

Portio hujus liquoris penicillo ad ulcera applicetur, bis de die.

Continuavimus in hac methodo per dies octo.

25. m. d.

Multo melius se habet; omnia bene procedunt, sed tantum laxitas ad gingivas remanet.

Gargarisma detergens.
Victus lautus.

29. m. d.

Perfecte sanatus ad socios rediit, die 36. ingressionis.

HISTORIA III.

Eduardus Seraphim Belle, miles IX. Legionis equitatus, Belgicus, e pago Cassel, 25. annorum, juvenis optimo instructus corporis habitu; sed laboribus militariis exhaustus, pravoque cibo aliquando nutritus, a morbo de quo loquor correptus fuit, et die 26. julii 1806. in nostro loco pio susceptus est. Ex quo

morbo gingivae tumidae, rubrae, cruentae, ulcerate, pauloque exesae, erant. Tunc maxime praescripsimus sequentia.

Rec. Potus anti-scorbutici, libras duas. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor, cap. more solito. Vini generosi, uncias duodecim. Cap. mane et vespere uncias sex. Garg. detergentis, uncias decem.

Victus lautus cum vini optimi libris duabus.

Consecuti sumus in omnibus remediis et in victu lauto. Die 11. augusti, 17. morbi, miles sanitati restitutus stativa petiit.

HISTORIA IV.

Aloysius Augustus Loeillet, IX. Cohortis eques, ex Caleto Galliae urbe, 23. circiter annorum, juvenis constitutionis aliquanto mollis. Hic ipse jam a 15. circiter diebus, gingivarum dolorem cruentarum, et corporis debilitatem persensit. Die 26. julii 1806., nulla antea facta medela, pium institutum adiit, ad eum recepto, haec observavimus: frequenter tussiebat, nihil vero expuebat; moesta erat facies, et cephaleam ingentem accusabat; nunc gingivae a dentibus recedentes erant lividae, cruentae, et ulceratae; paucis

abhinc diebus ulcera pallida fiunt, dentes moventes nunc hi nunc illi dolent, atque in iis nigritia apparet. Tunc limonad. Sulphur. pro gargarismate, et omnia remedia anti-scorbutica praescripsimus; - alimenta copiosa.

Post dies 18. nosocomium, perfecte sanatus, reliquit, et sociis se conjunxit.

HISTORIA V.

Valentinus Josephus Lepretre, miles IX. legionis equitatus, Belgicus patria, ex loco Salperwick, 22. annorum, Scorbutum, proxime elapso junio, est passus, et die 26. julii anni 1806. nostrum auxilium petiit. Hac die in valetudinarium institutum se deferri curavit aeger, meisque tradito observationibus, sequentia adnotatu digna in conspectum sese prodiderunt: gingivae inflammatae, tumentes, rubentes, cruentae, atque ulceratae erant, in ore dolente quoque ulcera jam omnia consumantia videbantur; os male olebat, et spiritus foetebat. Propinavimus sequentia:

Rec. Decocti anti-scorbutici, libras duas, d. pro potu. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor, capiat more solito. Vini generosi, uncias duodecim, cap. mane et vesperi uncias sex. Garg. emollientis, uncias decem.

Victus lautus cum vini optimi libris duabus:

Repetentur singula quotidie, sed octo elapsis diebus, aeger melius se habet, oris dolores et gingivarum sopiuntur. Sic praescripsimus.

Rec. Garg. detergentis, uncias decem.

Acidum muriaticum dilutum ope penicilli saepius de die gingivarum ulceribus applicetur.

Consecuti sumus in omnibus remediis anti-scorbuticis, ac lautiori victu; ab illo tempore de die in diem aeger melius se habuit; et nunc per menses optima gaudet valetudine. Post 29. dies nos dereliquit.

HISTORIA VI.

Joannes C. Vansoeterste, IX. Cohortis eques, Belgicus, ex Villa Godewarivelde, 21. annos natus, et delicato corporis habitu instructus, a circiter mense scorbutum persensit iste miles, et ad me missus est die 26. julii 1806. En quaenam symptomata observavimus. Facies erat tristis; gingivae lividae, cruentae ac foetentissimae erant, et corruptae, in frusta decidebant; dentes, quas horride processentes habet miser, lababant, atque nunc hi,

nunc illi dolebant; aderat quoque virium summa prostratio, lassitudo membrorum, oris et spiritus foetor; maculae lividae in summa cute oriebantur, et summum dolorem cruentarum gingivarum accusabat. Praeterea cito maxillae, lingua quoque afficiuntur, et totum os pustulis obsidetur, ex quibus masticatio fit difficilis. Hisce bene perpensis, morbum non sine periculo declaravimus, ac sequentia praescripsimus.

Rec. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor, capiat more solito. Vini generosi, uncias duodecim. Capiat uncias sex mane et vesperi. Garg. detergentis, uncias decem. Saepius de die adhib.

Decoctum corticis peruviani pro potu. Victus lautus cum vini optimi libris duabus.

Continuavimus in omnibus per dies 22. tunc de die omnia in melius vertuntur, dolor ad gingivas, osque disparuit. Aeger corroboratus, sic praescripsimus.

Rec. Decocti anti-scorbutici, libras duas, pro usu quotid. Vini anti-scorbutici uncias quatuor pro dosi. Garg. detergentis, uncias decem.

Habeat vini generosi uncias octo. Victus idem.

Repetantur quotidie praescripta usque ad perfectam sanationem. Aeger

tandem integrae sanitati restitutus, die 2. septembris e pio loco egressus est.

HISTORIA VII.

Carolus Joseph Loisel, Gallus, ex loco Guines, 21. circiter annos natus, robustus ac bene instructus.

Seraphim Lefort, ex Merville Belgii pago, 22. aetatis suae annum attingens, sat firmo corporis habitu instructus.

Joannes Baptista Fossier, Belgicus, e pago Wazieres, 23. annos natus, juvenis molliculus.

Petrus Joannes Baptista Waryn, natione Belgicus, ex loco Hazebrouck, 21. annum aetatis suae agens, juvenis gracili corporis structura incedens.

Petrus Joseph Dhenin, Belgicus, ex loco Savreuil, 22. circiter annos natus, optimo instructus corporis habitu.

Andreas Joseph Lescure, ex Dunquerca Belgii urbe, juvenis constitutionis bonae, qui ante propitiam semper habuit salutem.

Petrus Joannes Hosdey, ex loco Ecke, Belgicus, 21. annum aetatis suae jam attingens, corporis habitu sat robustus.

Petrus Franciscus Depuyte, Belgicus, ex loco Rubrouck, viginti et unum annos natus, vir robustus, et qui optima hucusque gavisus est valetudine:

Georgius Bailleul, Belgicus, ex loco Ecke, 22. circiter annos natus, modice robustus:

Joannes Baptista Cathlain, Belgicus [1], ex loco Hermier, 21. annorum, vir robustus, et qui semper hucusque secunda valetudine gavisus est.

Omnes 10. Milites IX. Legionis equitatus, scorbuto affecti, ad me fuerunt demandati, et in valetudinario pie suscepti die 26. julii 1806. Nihilominus, ut ne graviora symptomata urgeat scorbutus, sub recto regimine feliciorem morbi exitum speravimus, et sic praescripsimus unicuique.

Rec. Aquae purae, libras duas.
Acidi sulphurici, quantum satis ad gratiam:
Syrupi simplicis, uncias duas.
Misce;
Fiat potus ordinarius, vitro emissus.

Pro gingivis.

Rec. Aluminis fusi, scrupulum unum.

---

(1) La majeure partie des jeunes Militaires qui font le sujet de mes observations, étaient habitans de la Flandre, où recruta le 9.me Régiment de Chasseurs à Cheval l'an 1805.

In aquae fontanae; uncias quatuor.
dissolve lege artis.

Penicillum hocce liquore impregnatum
applicetur ulceribus saepius de die.

Victus lautus. Habeant aegri vini amari, uncias duodecim. Capiant mane et etiam vesperi, uncias sex.
Vini rubri librae duae de die.

Consecuti sumus inpraescriptis remediis, in victu lauto ac in vino per dies plures, ac dein prorsus a morbo restituti, et robusti, nos derelinquendo, stativa petierunt die 10. mensis augusti hujusce anni.

HISTORIA VIII.

Joannes Jacobus Maria Dericke, IX. Cohortis eques, ex Caudekerque Flandriae oppido, 21. annos circiter natus, robustus ac bene nutritus, et a prima juventute optima firmus valetudine, elapso circiter mense Majo, scorbuto devexatus est, et petens nostrum auxilium ad nos fuit demandatus die 26. julii 1806. hac die aegroto in hospitio instituto recepto, traditoque meis observationibus, symptomata adnotatu digna obtulit. Casus hic, eheu! nimis saepe curantibus sese offert. En quoque ejusdem morbi luculentissimum exemplum, cujus hic sanationem utpote attentione

medicorum dignissima nunc exponere aggredior: *Dericke*, ille est qui morbum attentione nostra dignissimum ob raritatem tractandum exhibuit, et, ex quo morbo sequentia manifestavit, et praeter jam alias enarrata, gingivae tumidae, cruentae, exesae, atque horride ulceratae erant, facies erat tristis, vox flibilis, caput dolebat, dentes nigrescentes et moventes dolebant, aderat quoque debilitas maxima, lassitudo membrorum, indolentia, aversio omnis generis exercitationis. Ad ea, quae dixi, accedit masticandi difficultas, dolor summus gingivarum, quo maxillae labia quoque afficiuntur, paulo post totum os pustulis obsidetur, et ulcera hinc inde in conspectum venire visa sunt. Tandem, in hoc misero statu, os foetebat, spiritus male olebat, saliva acris ex ore effluebat; maculae varii coloris in summa cute oriebantur. Haec cum vidissem praescripsi remedia apta ad atoniam corrigendam, tamen omnibus rite perpensis, morbum difficile curatu judicavi, ideo sequentem ingressus sum methodum.

Rec. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor, cap. more solito. Vini generosi, uncias duodecim. Capiat uncias sex mane et Vesperi. Garg. anti-septici, uncias octo, eique

adde muriatis ammoniacae grana octo decem.

Decoctum chinae pro potu.
Victus lautus cum vini optimi libris duabus.

Continuavimus in praedictis subsidiis per dies octo. Tunc paulo melius se habebat aeger, sed, hac die, gingivae adhuc ita intumescentes erant, ut cibus vix mandi posset, ac tubercula oriebantur, quae graeci Παρουλίδας dixerunt; labia quoque non minori cum periculo hoc malo tentabantur. Die 12. augusti, tres dentes exesi, ac vacillantes eradicati sunt a manu dextera. Die 28. ejusdem mensis, ex incisionibus ad gingivas institutis, sanguis abundanter exiit, et dens alter corruptus avulsus est; tunc aeger incepit melius se habere, interdumque dolores cessaverunt; dein tumefactio valde imminuit. Nos sic aegrum melius se habere videntes, ordinavimus ea remedia, quae ad eum corroborandum, et gingivarum ulcera cicatrisanda valent.

Rec. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor, capiat more solito. Vini generosi uncias duodecim. Capiat mane et vespere uncias sex. Garg. detergientis, uncias decem.

Decoctum chinae pro potu.
Victus lautus cum vini optimi libris duabus.

Repetantur omnia quotidie.

Aeger eadem cum methodo pertractatus est usque ad finem mensis augusti, die XXXV. ingressionis; quo tempore sanatus prorsus ac robustus institutum dereliquit. Nunc optima valetudine gaudet.

HISTORIA IX.

Henricus Joseph Ganivet, miles IX. Legionis equitatus, Belgicus, ex loco Auberchicourt, 22. annos circiter agens, parum robustus, molliculus, atque gracilis, scorbuto devexatus nos adiit die 26. mensis julii anni 1806. Gingivae tumidae, rubentes, atque cruentae erant, tamen modice exulceratae; os et spiritus foetentes. Nos a levioribus symptomatibus felicem morbi exitum sperantes sequentia concessimus.

Rec. Limonadae mineralis, libras duas, d. pro potu ordinario, Vitro immisso. Vini amari, uncias octo. Garg. detergentis, uncias decem.

Victus lautus cum vino optimo.

Continuavimus in medicaminibus corroborantibus, quae primo praescripsimus, usque ad diem XI. mensis augusti, in qua aeger bene se habuit, et in ore omnia secundum naturam nobis visa sunt. Sic a morbo li-

beratus, e pio loco egressus est die 29. ingressionis.

HISTORIA X.

Valentinus Magnier, IX. Cohortis eques, Belgicus, ex loco Tiloy, 23. circiter annorum, satis firmo corporis habitu instructus, medio fere mense Maii a scorbuto prehensus fuit, et ad nos demandatus die 26. julii 1806.: observavimus sequentia: gingivae cruentae, valde laxae, quoque ulceratae erant; dentes ipsi, nudi a parte qua naturaliter teguntur, dolebant; paulo post eorumque dolor, qui tunc vero a natura morbi nascitur, quasi intolerabilis factus est; tandem, omnia bene ponderata, medicamenta quae ad rem facere nobis visa sunt, praescripsimus.

Rec. Decocti anti-scorbutici, libras duas, pro potu ordinario. Garg. emollientis, uncias decem. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor. Pro dosi mane sumenda.

Victus lautus cum vini optimi libris duabus. Habeat bis vini generosi uncias sex.

Die 1. augusti duo dentes, qui circum exesi atque vacillantes erant, et acerbissimum dolorem faciebant, sunt

eradicati. *Hoc remedium procul dubio, dentium dolorem tollit.*

Continuavimus in medicamentis, quae in primis praescripsimus; die 15. augusti exhibetur sequens gargarisma.

Rec. Aquae communis, uncias octo.
Mellis rosacei, uncias duas.
Acidi sulphurici, quantum satis ad gratiam.
Fiat Gargarisma.
Saepius adhib.

Die 24. ejusdem mensis se melius habere asserit aegrotans, aliquam tamen ad gingivas irritationem accusat: per 9. adhuc dies apud nos remansit, et concessimus ut supra. Nosocomio tandem valedixit die 34. ingressionis.

HISTORIA XI.

Joseph Itard, IX. Cohortis eques, gente Gallus, 19. circiter annorum, juvenis formosus, firmo corporis habitu instructus atque robustus, mense junio a scorbuto prehensus est. Nos in auxilium advocati die 26. julii 1806. ordinavimus ut, in pejus quotidie morbo ruente, ad valetudinarium a nobis institutum (1) mandatus fuisset

(1) Je dois dire ici, que le Couseil d'administration du 9.me Régiment de Chasseurs à Cheval, en se char-

aeger, et haec ibidem mihi adnotanda offerebat: gingivae tumidae, cruentae, et ulceratae erant; os dolebat, deglutitio difficilis. Morbus non periculo plenus declaravimus, et sic praescripsimus.

Rec. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor, cap. more solito. Vini amari, uncias octo, sum. bis de die uncias quatuor.
Garg. detergentis, uncias octo.

Limonada mineralis pro potu.
Victus lautus cum vino optimo.

Consecuti sumus in praescriptis. Tali methodo pertractato morbo, perfecte convaluit aeger die 15. augusti, et laetus valetudinarium dereliquit.

HISTORIA XII.

Franciscus Fripeur, miles IX. Legionis nostrae, Belgicus, ex loco Pont-sur-sambre, 20. annos natus, juvenis robustus, sed male nutritus, elapso fere mense junio, scorbuto devexatus fuit. Petendo nostrum auxilium adiit institutum die 28. julii 1806. traditoque

---

geant de faire les dépenses qui pouvaient être nécessaires pour le traitement des scorbutiques du dépôt qu'autorisa à établir l'infirmerie dont-il est question dans mes observations.

aegro nostris observationibus sequentia notatu digna in conspectu venerunt: gingivae valde ulceratae, cruentae, atque exesae erant, dentes nigro colore notati dolebant; virium summam prostrationem accusabat, et facies tristis erat, paulo post vidi quoque perire faciei decolorem. Morbus statim periculo plenus claratus est, subitoque praescripsimus remedia apta ad atoniam imminentem corrigendam: tali methodo recurrimus ad sequentia.

Rec. Decocti corticis peruviani, libras duas, pro potu. Garg. detergentis, uncias decem. Vini antiscorbutici, uncias quatuor, sum. pro una dosi, mane. Vini amari, uncias sex.

Victus lautus cum vini optimi libris duabus.

Repetantur quotidie omnia remedia ab initio praescripta. Habeat victum lautum, et vinum optimum. Die 5. septembris miles sanitati perfecte restitutus stativa petiit, die 38. ingressionis.

HISTORIA XIII.

Caesar Wadenbrouëq, IX. Legionis eques, Belgicus 22. jam aetatis suae annum attingens, natus insulis, juvenis formosus, atque dignus amari; ex adversa sorte, elapsis mensibus fere dua-

bus, scorbuto devexatus fuit: qua de causa aegrotus ad institutum se deferendum ad vesperam diei 26. mensis julii anni 1806. curavit, et in conspectu nostro traditus, sequentia exhibuit: gingivae tumidae, valde cruentae erant tamen modice exulceratae; os foetebat. Statim ad sequentia remedia recurrimus:

Rec. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor, sum. pro dosi; mane. Vini amari, uncias octo. Garg acetosi, uncias decem.

Victus lautus cum vini optimi libris duabus.

Repetantur singula quotidie; in victu lauto et vino continuetur. Post aliquot dies ope istorum signorum scorbuti cohors disparuit, et Miles bene se habuit. Die 13. tandem mensis augusti scorbuto liberum se ostendit, et valetudinarium laetus dereliquit.

HISTORIA XIV.

Petrus Antonius Bril, IX. Cohortis eques, Belgicus, ex loco Godewaemvelde, juvenis 21. annos natus, constitutionis mollis, lymphatici temperamenti. Jam ante mensem insolitam gingivarum titillationem ac dolorem persensit, paulo post, virium levis pro-

stratio, gingivarum hemorragia, et earum quoque exulceratio comparuerunt. Sed sensim sensimque tristis, ac morosus aeger factus de tali statu, stativis valedixit, et die 25. julii anni 1806. nostrum auxilium petiit, sequentia exhibens symptomata: gingivae inflammatae, rubentes, cruentae, molliterque tumidae erant. Hisce bene perpensis, sequentia praescripsimus.

Rec. Infusionis amarae, libras duas,
pro potu. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor, sum. pro una dosi.
Vini amari uncias octo, sum. ad vesperas.

Detur aqua aluminosa (1) pro gargarismate.

Victus lautus cum vini generosi libris duabus.

Continuavimus in potu et diaeta; sic meliore victu concesso, de die in diem miles melius se habuit, post dies 20. e loco pio egressus est.

HISTORIA XV.

Jacobus Franciscus Gamblain, Miles IX. Legionis equitatus, Belgicus, ex loco Loon, 23. annum aetatis suae jam

---

(1) Hoc remedium est optimum, egometipse in hoc casu expertus sum.
Vid. Hist. VII. - *Pro gingivis*.

attingens. Vir iste robustus propitiam semper habuit salutem, sed vero die 25. julii 1806. opem aliquam miser a medica perquisivit arte, et valetudinarium adiit die 27. ejusdem mensis, ac sequentia exhibuit: gingivae cruentae, molliterque tumidae, valdeque ulceratae erant, quoque dentes sordidi ac flavidiusculi erant; facies erat tristis, os foetebat. Quo sub rerum statu, atque omnibus bene perpensis, sic prescripsimus.

Rec. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor, capiat more solito. Vini amari, unicas sex. Sum. dosin talem mane et vesperi.
Garg. detergentis, uncias decem.
Saepius de die adhib.

Infusio amara pro potu. Victus lautus ac bonus cum vini optimi libris duabus.

Prosequuti sumus in praescriptis subsidiis. Post aliquot dies, quibus sumptis aeger bene se habuit, et sanitati integre restitutus, die 19. augusti, ex instituto egressus est.

HISTORIA XVI.

Aloysius Franciscus Devemy, IX. Legionis eques, Belgicus patria, 22. circiter annorum, vir robustus, et optima hucusque gavisus est valetudine, si pau_

cas excipiam febres intermittentes, a quibus absque pharmacis penitus convaluit. Ast initio mensis maii a scorbuto correptus fuit, et morbo per plures dies neglecto, pejus se habuit aeger, tandem die 27 mensis julii anni 1806 ad vesperas valetudinarium institutum adiit. Observavimus ibidem sequentia: gingivae tumidae atque ulceratae erant, dentes flavo colore dotati dolebant, sanguis ex ore ulcerato effluebat, spiritus foetebat. Haec sine amplius ad trutinam revocare, tunc propinavimus sequentia.

Rec. Decocti anti-scorbutici, libras duas, pro potu, vini anti-scorbutici, uncias quatuor, capiat una vice. Garg. detergentis, uncias decem.

Lauta mensa cum vino optimo. Habeat vini amari, uncias octo.

Continuavimus in praescriptis remediis, et victum lautum semper concessimus. Die 19. augusti perfecte sanitati restitutus, e valetudinario nostro egressus est.

HISTORIA XVII.

Carolus Hippolitus Lemaire, IX. Cohortis eques, Gallicus, ex urbe Nemetocerna, 22. circiter annos natus, constitutionis molliculae, temperamenti lym-

phatici, tamen, pro misera sua condi-
tione, bene nutritus; sed vero animi pathematibus subjectus, aliquando ad delirium usque protractis, cui paulo post tristitia inimica succedit. Juvenis ille est, qui morbum attentione nostra dignissimum exhibuit.

Die 26 julii 1806 miles, de quo loquor, jam a pluribus diebus a scorbuto afflictus, nos in visitationem deprecavit. Statim jussimus ingressionem suam in valetudinario, ubi delato juvene, commode sequentia observavimus: gingivae prurientes, rubentes, atque tumentes erant, os male olebat; tunc cruentarum gingivarum ulcera de die in diem latebant, nec non in quibus erat sensus quasi rodentium: ex iis fluebat tenuis atque acris humor, proximas partes rubefaciens, atque errodens; oris totius dolores, calor vehemens, et dentium post aliquos dies labefactio supervenit. Remedia in hoc statu requiruntur omnia, quae debilitati solidi viventis resistunt, quaeque circulationem imminutam augere videntur, et nimiam laxitatem impediunt, in auxilium vocanda sequentia judicavimus.

Rec. Decocti corticis peruviani, libras duas.
Vini anti-scorbutici, uncias quatuor, sum.

pro una dosi. Garg. anti-scorbutici, uncias decem. Vini amari, uncias octo.

Victus lautus cum vini optimi libris duabus.

Prosequuti sumus in praedictis subsidiis. Interdum concessa est deambulatio in campis amoenis, atque sub nemorum umbra vicinorum, — aeger daturus se jucunditati. Die tamen 10. mensis augusti ne dum ulcera melius se habentes, praeter omnia alia remedia praescripsimus sequens gargarisma.

Rec. Decocti hordei, uncias sex.
Mellis rosacei, uncias duas.
Acidi Sulphurici, usque ad convenientem aciditatem.
M. Saepius de die adhib.

Acidum muriaticum dilutum lintea madida partibus ulceratis et quasi gangraenosis applicetur.

Die tandem 15. mensis, 21. ingressionis, matutinoque tempore, a frigore, dolore ad thoracem, cephalalgia, ac vomitu cruciatus est aeger. Versus meridiem calor subintrat, atque postremo ipse sudor deffluit. Qua re seposita omnino methodo anti-scorbutica, huic contrarium arripuimus.

Limonada tenuis pro potu.

Habeat vini optimi, uncias sex.

Juscula carnea.

Vesperi.

Demum sudore febris terminatur, evanescunt symptomata, remanente ut plurimum debilitate. Praeterea os valdopere dolebat, gingivae quam magis tumidae, atque cruentae erant; capitis dolorem aeger accusabat, et in somnum mediocriter inclinabat.

Mane 12. mensis die.

Febris adest ad horas 5. matutinas; incipit lassitudine, pendiculatione, horripilatione, frigore, nausea, ac dolore capitis; ad ea accedit oris amaritudo, linguae sordities, sitis, pondus ad regionem epigastricam, ventris tensio, dolor ingens ad frontis regionem. Facies conspiciebatur rubra, cutis calor auctus erat, et pulsus magna cum frequentia micabat. Morbo pro febre remittente gastrica declarato, statim viam medendi diversam ineundam existimavimus, et sic praescripsimus.

Rec. Tartritis potassae stibiati, grana duo.
Solve in aquae communis, unciis octo.
Solutioni adde
Rad. ipecacuan. Grana quindecim.
M. Sum. pro dosi.

Ab aqua toepida abunde potata, aeger quinquies evomuit, bis foeces deponit.

Diaeta prima cum juscolo carneo.
Habeat vini optimi uncias sex.

Vespere.

Aliquo modo melius se habet, os minus amarum; caput minus dolet, adspectus quoque melior, tamen de quodam conqueritur ventris dolore, ac debilitate. Hoc remedium dedimus.

Rec. Infusionis flor. chamom. uncias quatuor.
Aquae Cinnamomi, uncias duas.
Syrupi corticum aurantiorum, uncias duas.
Laudani liquidi Sydenham. guttas triginta.
M.
Sumat omni hora, uncias duas.

Mane 13. Mensis die.

Melius se habet, vomitus nullus, nullus oris amaror, lingua cernitur pulcherrima, pulsus naturalis est, atque symptomata gastrica disparuerunt, quievit.

Rec. Aquae hordei, libras duas.
Acidi sulphurici, quantum satis.
ad gratiam.
Syrupi simplicis, uncias duas.
Misce:
Detur pro potu ordinario,
Vitro immisso.
Pro gingivis.
Gargarisma emolliens.
Saepius adhib.

Potus excitans ut supra ad horas vespertinas.

Alimenta ex jusculis carneis.
Ovis ac vini optimi libra una sunto.

Vespere

Pulsus naturalis, appetitus melior

victum gustavit, caeterum nihil morbosi.

Mane 14. mensis die.

Melius se habuit, nihil praeter debilitatem, et oris dolorem accusat.

Repetatur decoctum chinae ab initio praescriptum, cum aqua cinnamomi, dein;

Rec. Vini anti-scorbutici, uncias duas.

Habeat gargarisma emolliens.

Diaeta II. cum vini optimi
libris duabus.

Vespere

Bene se habuit praeter gingivarum dolorem.

Rec. Infusionis flor. chamom., uncias quatuor,
Aquae cinnamomi, uncias duas.
Tincturae corticis peruviani, uncias duas.
Laudani liquidi Sydenham. guttas viginti quatuor
Syrupi corticum aurantiorum, uncias duas.
Misce:
Sumat pedetentim, vespertino tempore.

Mane 15. m. d.

Optime se habuit, quievit, dormivit; dolor gingivarum orisque imminutus est, signa gastrica hucusque nullomodo comparuerunt, ac vires redeunt, appetivit; tamen vero dolor ad faucium insurrexit, et observavimus dexteram glandulam late ulceratam, statim sic praescripsimus.

Rec. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor,

capiat more solito. Garg. detergentis, uncias decem, eique adde muriatis ammoniacae, grana sexdecim.

Repetatur decoctum corticis peruviani cum aqua cinnamomi ut supra.

Diaeta III. cum vini optimi libris duabus

Vesperi.

Omnia procedunt valde bene, lingua pura est, appetitus auctus, ac vires redeunt.

Potus excitans ut heri.

Mane 16. Mensis die.

Aeger optime se habens, et a pluribus diebus febre liberum se ostendens, rursus remedia anti-scorbutica, et corroborantia repetimus.

Rec. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor, capiat more solito. Vini amari uncias octo. Sum. vesperi dosin talem. Garg. detergentis, uncias decem, eique adde muriatis ammoniacae grana octo decem.

Decoctum chinae pro potu.
Dieta IV. Habeat vini optimi libras duas.

Partibus glandulae affectis, lintea madida applicetur sequens remedium.

Rec. Syrupi ex floribus violarum, optime preparati, unciam unam.
Acidi Sulphurici, guttas LX.
Misce agitando.

Nihilominus quantitas acidi sulphurici aucta vel imminuta esse debet pro variis circumstantiis.

Consiliavimus interdum aegrotanti, sisymbrium nasturtium mandere, vel ejus succo gingivas fovere.

17. Mensis die

Nihil novi, continuetur in omnibus. Victus lautus cum vino optimo; iterum fuit concessa deambulatio in campis amoenis.

25. M. d.

Aeger bene se habuit, in ore omnia procedunt valde bene, et in ea quasi aderant secundum naturam, tamen continuavimus adhuc per dies plures in sequentibus subsidiis.

Rec. Decocti corticis peruviani, libras duas. Vini anti-scorbutici, uncias quattuor, sum. pro dosi. Vini amari, uncias octo. Garg. detergentis, uncias decem.

Victus idem.

Ab illo tempore de die in diem, aeger melius se habuit. Die tandem 8. septembris hujusce anni, gratias nobis agens, ac laetus, valetudinarium dereliquit.

HISTORIA XVIII.

Joannes Baptista Spellemacker, IX. Cohortis eques, ex Hardifoorte Flandriae oppido, 22. circiter annos natus, ac

robustus, scorbuto ab aliquo tempore laborat.

Augustinus Gilquin, IX. Cohortis eques Belgicus, ex loco Lerennes, 22. annorum aetatis suae attingens, juvenis bene constructus ac robustus, alias sanissimus.

Franciscus Aloysius Matsaert, IX. Cohortis eques, Belgicus, e pago Pitgam, 21. annorum, juvenis constitutionis mollis, temperamenti phlegmatici, ac mediocriter robustus, jam a nonnullis diebus a scorbuto correptus est.

Benedictus Lefevre, Belgicus ex loco Raquinghem, 23. annorum, robustus, et a plurimis annis bona salute gaudens; tamen una die a morbo ex vero correptus fuit.

Ex quatuor aegrotantibus IX. Cohortis equitatus, quos, scorbuto affectos, in valetudinario pertractavi; nec unius tantum historia memoratu digna mihi videtur: cunctos hosce aegrotos scorbuto a debilitate locali affectos fuisse, certum est. Pauca tantum circa morbum istum, a quo afficiebantur milites, loquar; tamen curationem ac exitum in medium breviter proferam.

Quatuor, de quibus loquor, post visitationem meam, in valetudinarium

nostrum suscepti sunt, die 1. Augusti 1806. Ego autem in auxilium vocatus, sequentia tantum observavi: Gingivae cruentae ac tumidae erant, dentes quoque sordidissimi conspiciebantur. Subito ad sequentia et simplicissima remedia recurrimus.

Rec. Limonadae mineralis, libras duas, d. pro potu ordinario, et Vitro immisso. Aquae aluminosae, quantum opus, parataque ut jam alibi dixi: Gingivae ea saepe foveantur.

Victus lautus cum vino optimo.

Deambulatio quotidiana in campis amoenis, et jucunditas quoque commendatae sunt, et sic deinceps.

Hi quatuor aegrotantes, qui semper hucusque secunda valetudine gavisi fuerant, in hospitio instituto pertractandi mihi, ut vides, obvenerunt, et singuli maxima cum celeritate sanitati restituti sunt. Ibidem, quia pristinum vivendi modum cum meliori commutaverunt; nedum laboribus permultis atque gravissimis defatigati, nec pathematibus animi deprimentibus vexati; sic de die in diem melius se habentes viderunt. Tamen sub hac rerum dispositione continuavimus in praescriptis remediis, in victu lauto, in deambulationibus, et in vino optimo.

Illi tali methodo post 19. dies perfecte sanati egressi sunt.

HISTORIA XIX.

Johannes Franciscus Obaton, IX. Cohortis eques, Belgicus, ex loco Zouaffle, 21. annorum, juvenis gracili corporis structura incedens, temperamenti lymphatici, atque debilitatus a morbis antecedentibus. Iste vir bonus a scorbuto violento correptus, statim petiit nostrum auxilium, et intra valetudinarium susceptus est die 26. Julii 1806. Ibidem observavimus sequentia: gingivae debilissimae, valde ulceratae, et marcessentes erant, a dentibus recedebant, et aut leviter pressae sponte cruorem emittere videbantur. Paucis ab hinc diebus vidi pariter perire faciei colorem, ejusque colapsus, et dentes nigrescentes ac nudi horride procedere: denique conjunctim omnia mortis imaginem praebere visa sunt. Nos hoc videntes subito recurrimus ad remedia aptiora ad atoniam corrigendam, et duce experientia, ut puto, sequenti formula usus sum.

Rec. Decocti corticis peruviani, libras duas, pro potu. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor, pro dosi mane sumenda.

Habeat Garg. anti-septici, uncias octo, eique adde muriatis ammoniacae, grana sexdecim,

Vinum amarum uncias sex bis de die.

Rec. Acidi muriatici diluti, quantum placet.

Portio hujus liquoris penicillo ad gingivas ulceratas adplicetur, ter quatuorve de die.

Victus lautus cum vini optimi libris duabus. Praeterea deambulatio concessa est in campis viridibus ac amoenis, ubi quoque aer purus esset; attamen sisymbrium nasturtium mandere conciliabitur, ad gingivas ejus succo fovendas (1).

Repetiimus omnia rimedia quotidie, et continuavimus in victu lauto ac vino. Die tandem 3. septembris, ingressionis 42. Juvenis noster firma atque robusta valetudine fruens, valetudinarium dereliquit.

HISTORIA XX.

Aman Socelet, IX. Cohortis eques, Belgicus, ex oppido Tourcoing, 23. circiter annum aetatis suae agens, juvenis robustus, torosus, et a nullis antecedentibus morbis afflictus, sed ex adversa

---

(1) Unus inter aegrotantes nostros quotidie mittebatur in campos juxta fontes ac rivos ad sisymbrium aquaticum quaerendum, quod postea unicuique distribuebatur,

sorte elapso fere mense junii scorbuto devexatus est, et in visitationem meam coactus fuit venire die triginta julii 1805. et intra valetudinarium die prima augusti suscepimus, cujus en historiam. Improbo labore, victu quoque miserrimo incidit in spontaneum scorbutum. Heu! nemo est qui ex sequentibus signis coram scorbutus teterrimus haberi non vidisset. Primo, morbi signa se se manifestaverunt ad gingivas, non tumidas duntaxat, sed et nigras, ac putridas, hinc foetens anima, hinc corrupti dentes, sordidissimi, ac vacillantes, adeo ut nullum vere cibum manducare queat, hinc quoque debilitas totius systematis; morbus innotescit quoque corporis rigiditate, putredine atque labiorum exulceratione, dentium dolore et eorum casu qui oriebatur a carie. Inde porro morbus vagatur ad crura, et ad alias partes ubi vere macula videbantur. His omnibus praedictis, ac rite perpensis clare nobis necessitatem methodi excitantis monstraverunt, et praescripsimus quod sic se habet.

Rec. Decocti corticis peruviani, libras duas, sum. quotidie. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor, capiat more solito. Garg. antiseptici, uncias octo. Vini amari, uncias duodecim, cap. bis de die uncias sex.

Victus lautus ac corroborans cum vini optimi libris duabus.

Deambulatio in nosocomii platea, ac in finitimis campis. Curationis tempore ex fungosis gingivis pluries ferro scarificatis cruor stagnans exiit.

Prosequuti sumus in praedictis remediis usque ad perfectam sanationem. Die tandem 6. septembris, ingressionis 36., perfecte sanatus est, et valetudinarium reliquit.

HISTORIA XXI.

Petrus Antonius Joseph Daneel, Belgicus, e Pago Renescure, 22. annum aetatis agens, juvenis robustus.

Petrus Aloysius Delatre, Belgicus ex loco Hazebrouck, 21. circiter annorum, constitutionis mollis, temperamenti pituitosi, et male constructus.

Joannes Baptista Viola, ex Caleto galliae urbe 22. annos natus, mediocriter robustus, alias tamen sanissimus.

Petrus Seraphim Ponthieu, ex Audomaro Flandriae urbe, 22. aetatis suae annum attingens, juvenis parum robustus.

Carolus Jacobus Tonneau, Belgicus, ex Bergues, 21. annorum, alias sanissimus, nunc laboribus nimiis mi-

litaribus exhaustus, temperamenti phlegmatici, tamen iste juvenis pro sua conditione torosus.

Augustus Delobbel, ex loco Lambersart, Belgicus; 22. annum aetatis jam attingens, juvenis in victu ac certe in *Venere* sobrius, laboribus suis nequaquam indulgens, atque ante scorbutum semper optime valuit.

Sex aegrotantes IX. Cohortis equites, scorbuto, in primo tamen gradu provecto, laborantes, ad me demandati sunt die 26. julii hujus, quem vivimus, anni.

Ego idem in auxilium vocatus, observavi omnia jam pluries allata, quaeque modo manent mente reposita. In hoc enarrato casu statuerunt medici, ut in tali gradu, regulae eligendae sunt eae, quae opponuntur morbi causis. Igitur ad curam valde bene dirigendam observanda sunt sequentia: affectus animi tristes, et melancolici relinquendi sunt, et tentandum praesertim, ut non metuant aegri de salute sua; neque tunc inquam studia colenda sunt, aut animus tristibus notitiis conturbandus; concedenda est lauta mensa, ut aegri hilares sint; deambulatio quoque in campis virentibus, sub umbra nemo-

rum, juxtaque fontes ac rivos amoenos suaderem; quo ipso tempore ad simplicissima remedia, victum lautum atque ad vinum recurrimus. Praescripta est limonada sulphurica pro gargarismate.

Continuavimus in remediis, in victu eodem atque in deambulationibus per dies 18. Tunc temporis illi sex aegrotantes, tali methodo perfecte restituti, egressi sunt, et a pluribus jam mensibus secunda valetudine gaudent.

HISTORIA XXII.

Joannes Deketer, IX. Cohortis eques, Belgicus, ex loco Crochete, 21. annorum, juvenis formosus, praestanti corpore, atque compagine robusta, antea semper optime valuit. Attamen sub exordio mensis julii, scorbuto incipiente affectus, opem nostram implorat, et ad valetudinarium venit die 26. julii anni 1806. Tunc gingivis consumptis in inferiora praecipue maxilla, et cinereis dentibus atque a gingiva desertis, animo foetente doloribus vagis, vespere et noctu auctioribus, miles multabatur; nos hoc videntes ad sequentia recurrimus.

Rec. Decocti anti-scorbutici, libras duas.
Vini anti-scorbutici, uncias quatuor.
Sum. pro dosi.

Detur aqua aluminosa, lege artis parata, pro gargarismate.

Victus lautus cum vini optimi libris duabus.
Vesperi habeat vini amari, uncias sex.

Continuavimus in subsidiis usque ad sanationem, tandem vero ope istorum morbus disparuit, miles ex integro convaluit, et die 1. septembris valetudinarium dereliquit.

HISTORIA XXIII.

Henricus Germain, Miles IX. Legionis equitatus, natione Belgicus, 22. annos natus, modice robustus, tumidulo ac pastaceo habitu erat, ex scorbuto teterrimo in nostro nosocomio decubuit die 26. mensis julii anni 1806. Morbus notabatur vero debilitate totius systematis; putredine, atque exulceratione gingivarum; dentium vacillatione, ac doloribus. Ecce quoque, pergendo examen, alia gravissima symptomata undique incedentia. Palati membrana dura asperaque, atque uri videbatur; labia tumida, atque ulcerata erant; cum palato lingua, totumque os, cum dolore, pustulis obsidebatur: ex his ul-

cera fiebant, quae ἄφθας nominantur, et totum os vastitate implebant; dentes vacillantes, dolentes exesi, ac sordidissimi labaþant, etiam alia quoque aderant in aliis corporis partibus; facies pallida ac tristis erat; in imo ventre symptomata praecipue molesta, ut fluxus aquosus, et varia tormina solebant vexare. Ruina virium gravis! praeter haec, a 15. diebus lividis latisque maculis per crura atque femora hinc inde sparsis, itemque petechiis scorbuticis rotundis, nempe absolute rubris, diametrum grandiores ciceris habentibus, et creberrimis per brachia et omnem corporis truncum disseminatis aeger variegatus se ostendebat. Itemque lassitudo, membrorum gravitas, et dolor his praedictis se conjunxit: et nunc has, nunc illas partes invadit, qui modo acutus, modo obtusus modo rodens est, modo lancinans, modo ὀστοκόπος: istae dolores vesperi, et noctu auctiores fiebant, anima valde foetebat. Hoc videntes, pro salute aegrotantis in auxilium vocanda omnia remedia judicavimus, quae ad solida corroboranda praestantissima sunt, ut quotidie experti sumus. Nam cum et in scorbuto debilitas solidorum sit, ni-

hil clarius est quam ista medicamenta in hoc morbo coeteris palmam praeripere. – Sic praescripsimus.

Rec. Decocti corticis peruviani, libras duas, d. pro potu ordinario. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor, sum. pro una dosi, mane. Vini amari, uncias octo, sum. vesperi dosin talem. Garg. antiseptici, uncias duodecim.

Victus lautus cum vini optimi libris duabus.

Deambulatio in finitimis campis concessa est, et curationis tempore ex fungosis gingivis ferro scarificatis, cum summo levamine sanguis exiit.

Continuavimus in praescriptis remediis, in diaeta restaurante, atque in deambulationibus per dies plures; tum maxime aeger melius se habuit, et ordinavimus

Acidum muriaticum dilutum.

Portio hujus liquoris penicillo gingivarum ulceribus applicetur saepius de die.

Tandem ad perfectam sanationem aeger ducitur die sexta septembris, et ad suos redire cupientem, integre restitutum dimisimus.

HISTORIA XXIV.

Petrus Joannes Barbier, IX. Cohortis eques, Belgicus, ex loco Eb-

blinghem, 22. annum aetatis suae jam attingens, modice robustus, atque gracilis. Scorbuto devexatus, ad nosocomium nostrum accessit a meridie diei 26. julii 1806., ac misero examini tradito, sequentia in conspectu nostro se se prodierunt: facies pallida, labiorum, et caruncularum in oculis color subvirescens, solitudinis et quietis amor, animi pusillanimitas, dedolatio, et post levissimum motum anhelosa, et brevis respiratio aderat. Summam interim debilitatem accusabat, immo a minimo motu, lipothymiam timebat miser. Ad ea quae dixi accedit quoque pruritus gingivarum, earum tumor, rubor, putredo, et laxitas; sanguinis profluvium, si levissime perfricentur; materies mucosa circa dentes collecta, inspissata, et in terram calcaream mutata: atque dentes mortificati frustulatim absque dolore excidebant; anima foetebat. Tum morbus periculo plenus declaravimus, subitoque praescripta est diaeta antiscorbutica, interea removendo causas occasionales. Videamus, quibus formulis uti solemus.

Rec. Decocti corticis peruviani, libras duas, d. pro potu ordinario. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor, sum. pro dosi. Garg. anti-scorbutici, uncias decem; quo foveantur

gingivae saepius de die. Vini tonici, uncias sex, d. cochleatim intra XII. horarum spatium.

Victus lautus cum vini optimi libris duabus.

Continuavimus in praescriptis.

Die V. augusti, X. ingressionis, sera vespera hujusce diei caput doluit, aeger debilitatem accusat, et aliquam sitim, atque ciborum inapetentiam; nocte non dormivit.

Mane, die VI. a frigore corripitur, sequitur dein calor, sudor; ad ea accedit oris amarities, ac nausea; capitis dolor, doluit ventriculus ad attactum; lingua villis flavicantibus hirta; facies rubra ac quasi minio picta: pulsus cum frequentia micabant. Cito omnia remedia anti-scorbutica cessavimus, diaeta fuit praescripta, et citrea potio in die sumenda. Ad noctem non dormivit, sitis continuat, et vomituritiones.

Die VII. res eodem modo procedens, a meridie dato emetico (1) vomuit amara multa cum ingenti levamine, et abundanter faeces deponit.

Sera nocte febre liberum se ostendit, erat facies pallidiuscula.

---

(1) Emetica nostra non solam emesin, sed etiam alvum movent, et ex xv. gr. rad. ipec. et tartritis potassae stibiati gr. 2. componuntur.

A mane diei VIII. mensis, melius se habet, et de nulla conqueritur anxietate, praeter debilitatem. Nocturno tempore bene dormivit.

Die IX. nulla in pulsu frequentia est, omnia symptomata disparuerunt: lingua pura, ac vires redeuntes diagnosin corroborant.

Die XVII. rursus omnia remedia anti-scorbutica praescripsimus. - Victus lautus.

Die XVIII. Tres dentes exesi, et vacillantes vulgari illo instrumento extrahuntur, quod clavem anglicam appellant medici.

Prosequuti sumus in praedictis subsidiis, in victu lauto cum vino optimo; atque deambulationes in finitimis campis consiliantur. Denique die VI. septembris, aeger integre restitutus, e valetudinario egressus est.

HISTORIA XXV.

Petrus Franciscus Dhez, IX. Cohortis eques, Belgicus, ex loco Sapignier, juvenis 22. annos natus, satis robustus, at jam elapso mense majo, a scorbuto prehensus est. Aeger de eventu sollicitus nos convenit die 26.

julii proxime elapsi, at vero exhibens symptomata, quae in stadii primi scorbuto occurrunt. Scire: facies obscura, et sublivescens, tumor gingivarum; earumque ulcus, caerulescens rubor, atque virium prostratio. Statim dedimus, ut moris est, tonica remedia, quae anti-scorbutica sunt. Item pro gargarismate, et pro potu quotidiano praescripsimus acida mineralia dulcificata, ut etiam vegetabilia anti-scorbutica, velut decoctum, cochleariae, raphani rusticani etc. fructus temporis anni quoque valdopere adhibeantur, corroborantia, et stimulantia, ut solemus; pariter sisymbrium aquaticum, et alia infinita vegetabilia cum quibus juscula carnea parata sunt.

Tali methodo miles ad perfectam sanitatem ducitur, et die XXX. mensis augusti e loco pio egressus est.

HISTORIA XXVI.

Isidorus Fontaine, IX. Cohortis eques, ex loco Croix, 22. annum aetatis suae agens, vir satis torosus, tamen lymphatici temperamenti, atque mollis constitutionis, ac tumiduli, et pastacei habitus, initio mensis elapsi a

scorbuto correptus fuit, et ad nos venire datum est a meridie diei 26. julii 1806., qua die nos in auxilium vocati, vidimus gingivas tumidas, fungosas, sanguinolentas, et valde ulceratas esse; his quoque adjungi debet virium prostratio, oris foetor, faciei decolor, sitis assidua, et animi moestitia ac morositas; praeterea, dentes nigrescentes, vacillantes, horrideque processentes ac nudi, etiamque frustulatim excidentes videbantur; cutis maculosa, maculis coerulescentibus, veluti a sugillatione, magnitudine varia, figura irregulariter orbiculari, plerumque in femoribus, et cruribus aderant, sed et in brachio, torace, trunco toto. Sub quo rerum statu in votis erat praesentibus indicationibus satisfaciendi, ad hoc vero faciendum ex dictis anti-scorbuticis usi sumus.

Rec. Vini anti-scorbutici, uncias quatuor, capiat more solito. Vini tonici, uncias sex, sum. uncias tres bis de die. Garg. anti-scorbutici quantum opus, omni hora adhib.

Decoctum chinae pro potu. Victus lautus cum vini optimi libris duabus.

Continuetur in victu, et repetantur quotidie omnia remedia.

Die XVIII. exhibuimus pro gargarismate

Limonad. sulphur.

Lege artis paratam.

Continuavimus in omnibus praedictis subsidiis ad sanationem usque. Die tandem XL. ingressionis morbus disparuit, et aeger abiit 5. septembris.

En benevole lector, praecipuas scorbuti in sanitatem conversi historias! ipsius permultas alias, memoratu dignissimas, addere potuissem, si limites hujus operis id permisissent. Verum enim vero praeter aegrotantes, de quibus hucusque locutus sum, alii non pauci ad me venerunt. Hic sistendum, cum nec plus ultra procedere imperant circumstantiae; me tamen penitus infelicem non habeo, si pro boni animi testimonio praesentem accipias expositionem. Vale.

COMPOSITA

DECOCTA

Decoctum Anti-scorbuticum

Rec. Radicis Arctium - lappae Concisae, uncias duas.
Coque in aquae communis, libras quinque,
ad libras quatuor.
Sub finem ebullitionis adde:
Radicis raphani rusticani concisae,
Foliorum Rumex - acetosae,
Herbae Nasturtii aquatici, ana unciam unam.
Cola per linteum. - Sumat libram unam - duas.
de die.

Decoctum Corticis

Rec. Corticis peruviani rud. tusi, uncias quinque.
Coque in aquae libris septem, ad libras sex.
Cola. - Sumat bis - quater de die uncias sex.

VINA

Vinum Anti-scorbuticum

Rec. Vini albi generosi, libras duas.
Tinturae alcohol. raphani, uncias duas.
Sumat unciam unam duas,
omni mane.

Vinum Amarum

Rec. Tincturae Gentianae luteae, unciam unam - unam semis.
Vini rubri optimi, libras duas.
Sumat uncias duas - quatuor - sex, semel vel bis de die.

Vinum Generosum

Rec. Vini rubri, libras duas.
Tincturae alcohol. Laurus-Cinnamomi, unciam unam - unam semis - duas.
quandoque
Syrupi simplicis, uncias duas.
misce.
Sumat uncias duas - quatuor - sex, semel vel bis de die.

Vinum Tonicum

Rec. Corticis cinchonae officinalis subtilissime pulverisati unciam unam - semis.
Infunde per biduum, saepius agitando, in Vini generosi unciis sexdecim.
Dein effunde liquorem per subsidentiam depuratum, eique adde
Sacchari albi triti, unciam unam.
Ætheris sulphurici alcoholisati, uncias duas.
Sumat uncias duas - quatuor, bis terve de die.

A Q U A E

Aqua Tamarindorum

Rec. Tamar. indor. uncias duas.
in vase stanneo dilue.

Sensim affundendo
Aquae fervidae, libras duas.
Cola per linteum.

Limonada Mineralis

Rec. Aquae communis, libras duas.
Acidi sulphurici quantum satis
ad gratiam.
Syrupi simplicis, uncias duas.
misce.

INFUSA

Infusio Amara

Rec. Specier. amar. unciam semis.
Tisan. communis fervidae, libras quatuor.
Infunde per horam, et cola.

GARGARISMATA

Gargarisma Anti-scorbuticum

Rec. Infusionis amarae, uncias octo.
Tincturae alcohol. raphani rusticani, unciam
semis-unam.
Mellis rosacei, unciam unam - duas.
misce.

Gargarisma Anti-septicum

Rec. Decocti corticis peruviani, uncias octo.
adde

Mellis rosacei, vel
Oxymel. simpl. uncias duas.
Alcoholis camphorati unciam semis - unam.
Vel pro re nata,
Muriatis ammoniacae, grana duodecim - octodecim.

Gargarisma Detergens

Rec. Aquae hordei, uncias octo.
Mellis rosacei, uncias duas.
Acidi sulphurici, quantum satis
ad gratiam.
misce.

Gargarisma Emolliens

Rec. Decocti Rad. althaeae, uncias octo.
Syrupi mellis, unciam unam.
misce.
